This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

DC
611
.B779
K65

B 829,168


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DC
G1
B
K

From Univ of Paris 10-16-05

QUOMODO

PRIMI DUCES

CAPETIANÆ STIRPIS

BURGUNDIÆ RES GESSERINT

1032-1162

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. KLEINCLAUSZ

DIVIONE

EX TYPIS BARBIER-MARILIER

—

M DCCCC II

QUOMODO

PRIMI DUCES

CAPETIANÆ STIRPIS

BURGUNDIÆ RES GESSERINT

1032–1162

QUOMODO

PRIMI DUCES

CAPETIANÆ STIRPIS

BURGUNDIÆ RES GESSERINT

1032-1162

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. KLEINCLAUSZ

DIVIONE

EX TYPIS BARBIER-MARILIER

—

M DCCCC II

Ad memoriam patris mei

142443

INDEX RERUM

Pag.

INDEX RERUM 1

INDEX LIBRORUM V

PRÆFATIO 1

CAPUT I. — *De Originibus Ducatus Burgundiæ.*

I. Quomodo, Merowingis et Carolinis regnantibus, legibus suis usa sit Burgundia. Quamdiu Gundobaldi lex perviguerit. — Quo pacto res administraverit et rexerit Carolus Calvus; de comitibus missisque dominicis. Quam secure et prospere vixerint Burgundiones; qua felicitate fruitæ sint abbatiæ. — De Nortmannorum incursionibus.

II. De Bosone, Burgundiæ rege et Augustoduni comite. Quatenus patuerit regnum ejus. — De primis Burgundiæ ducibus et præcipue de Richardo Justificatore. — Quæ species ducatus fuerit decimo seculo.

III. Quomodo Burgundia potitus sit Robertus Pius. De Roberto hujus tertio filio, qui primam domum Burgundiæ ducum condidit 5

CAPUT II. — *De primorum Capetianæ stirpis Ducum rectione.*

I. Quali habitu Burgundia fuerit, ineunte regno Roberti I. De anni 1033 fame.

II. De quæstione a Roberto I instructa ut fideles ducalia jura quærerent. De hujus ducis titulis. — Quamdiu regnaverint primi Burgundiæ Capetiani. De

eorum matrimoniis. — De Divione, Ducatus Burgundiæ capite.

III. Quam facile ducum potestas tradi solita sit, Roberto I mortuo..... 25

CAPUT III. — *De Ducibus, episcopis et monachis.*

I. Qualis fuerit Burgundiæ ecclesia, undecimo seculo; quas opes habuerint monasteria. — De Cluniaco; de Willelmo abbate.

II. De Ducum pietate. Quæ eorum pars in crucibus hispanicis vel asiaticis. — De Hugone I, duce et postea Cluniacensi monacho. — Quibus donis monasteria aucta sint. — De Odone I, Cisterciensis monasterii fundatore.

III. — Quomodo Robertus I et Odo I jura quædam recipere nisi sint, a monachis rapta. — Quomodo plures e ducali domo principes ad episcopatum lati sint.— Quare et quam improbe quædam Roberto I et Odoni I sint objecta..... 45

CAPUT IV. — *De Ducibus et nobilibus regibusque.*

I. Unde ortum et quale fuerit apud Burgundiones feudorum regimen. De castellis. De prædandi et vagandi more.

De Roberti I bello adversus Nivernensem comitem. — Quomodo Curia ducis sit composita : barones, familiares, præpositi.

II. De Burgundiæ duce, regis Franciæ « homine ligio ». — Qua pro parte Burgundiæ duces regni Franciæ bella confecerint. — Quas res cum Ludovico sexto Hugo II contraxerit..... 73

CAPUT V. — *Qualis fuerit Ducum potestas in Burgundia medio duodecimo seculo.*

I. Quo modesto animo fuerint nostri duces ; de Hugone II Borello vel Pacifico. — Quibus latrociniis usi sint Matisconensis et Cabillonensis comites, propter quæ lugebant ecclesiæ et populus. — Quam incuriosi artium fuerint omnes, exceptis monachis.

II. Quam sæpe reges Franciæ Burgundiæ rerum participes facti sint, præsertim regnante Ludovico septimo ; quam sæpe papæ, episcopi, abbates, a regibus auxilium petiverint. — Pœnam solvit dux Odo II in litibus cum Lingonensi episcopo (*Curia regis apud Moretum*, 1153). — Qua necessitate mutandum fuerit ducendi genus in Burgundia.

III. De Hugone III. — De administrandi genere Alidis de Vergeio. — Quæ acceperint et tradiderint Hugo IV et Robertus II. — Quibus pactis communiæ a ducibus nostris concessæ sint. — Concluditur 89

INDEX NOMINUM..... 107

INDEX LIBRORUM

I. FONTES

1° Annales, chronica, et historiæ.

Analecta divionensia, Dijon, ann. 1886 et sq.
Annales besuenses, ann. 195–1174 (SS. II, p. 247–250)[1].
Annales nivernenses, ann. 509-1188 (SS. XIII, p. 88–91).
Annales sanctæ Columbæ senonensis, ann. 708-1218 (SS. I, p. 102-109, vel Bibliothèque historique de l'Yonne, t. I, p. 199-213).
Annales sancti Benigni divionensis, ann. 564-1285, ed. Waitz (SS. V, p. 37-50).
Chronicon sancti Benigni divionensis, ann. 458-1052, ed. Bougaud (*Analecta divionensia*, Dijon, MDCCCLXXV, p. 1-230).
Chronicon sancti Petri vivi senonensis, auctore CLARIO. *Continuationes* (Bibliothèque historique de l'Yonne, t. II, p. 449-550).
Gesta pontificum autissiodorensium (Bibliothèque historique de l'Yonne, t. I, p. 309-509).
Chronicon besuense, ann. — 1135, ed. Garnier (*Analecta divionensia*, p. 231-503).
Chronicon Trenorciense (apud CHIFFLET, Histoire de Tournus).
Ex chronico sancti Mariani autissiodorensis (Recueil des Historiens de France, t. XI et sq.).
Ex chronico Alberici Trium Fontium (Recueil des Historiens de France, t. XIII et sq.).
Ex historia brevi Comitum nivernensium (Recueil des Historiens de France, t. X et sq.).

1. SS. significat, ut solet, *Monumenta Germaniæ historica*, series infolio.

RODULFUS GLABER. *Historiarum libri quinque*, ann. 900-1044, ed. Prou (Collection de Textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'histoire, 1 vol. Paris, Picard, 1886).

RODULFUS GLABER. *Vita Guillelmi* (*Migne*. Patrologie latine, t. CLXII, col. 698-720).

Historia Vizeliacensis monasterii, auctore HUGONE PICTAVINO, ann. 846-1167 (*Migne*, Patrologie latine, t. CXCIV, col. 1561 sq.).

HUGONIS ABBATIS FLAVINIACENSIS *Chronicon*, ann. — 1102, ed. Pertz (SS. VIII, p. 280-502).

ODORANNI *Opuscula. Chronicon*, ann. 675-1032 (Bibliothèque historique de l'Yonne, t. II, p. 387 et sq.).

ORDERICI VITALIS *Angligenæ, cœnobii Uticensis monachi Historiæ ecclesiasticæ, libri tredecim*, ann. — 1142, ed. Auguste le Prévost (Société de l'Histoire de France, 5 vol., 1840-1855).

Recueil des Historiens des Gaules et de la France, t. X-XVI (H. F.).

Recueil des Historiens des Croisades. Historiens occidentaux, t. I-IV.

RODERICI TOLETANI *de Rebus Hispaniæ* (apud Schott, *Hispaniæ illustratæ*, t. II).

SUGER. Vie de Louis le Gros, suivie de l'Histoire du roi Louis VII, ed. Molinier (Collection de Textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'histoire, 1 vol. Paris, Picard, 1887).

Vita Garnerii (apud *Pérard*. Recueil de pièces curieuses servant à l'histoire de Bourgogne, p. 124-134).

Vitæ Sancti Hugonis, Cluniacensis abbatis, a GILONE, HUGONE MONACHO, HILDEBERTO CENOMMANICO (apud *Migne*. Patrologie latine t. CLIX, et *L'Huillier*, Vie de S. Hugues, p. 565 et sq.).

2° Instrumenta diplomatica.

BORETIUS ET KRAUSE. *Capitularia regum Francorum*, 2 vol. in-4°, Hannovre, 1883-1897.

BRUEL. Recueil des Chartes de l'abbaye de Cluny, t. I-V (5 vol. in-4°. Collection des documents inédits, Paris, Imprimerie nationale, MDCCCLXXVI-MDCCCXCIV).

DE CHARMASSE. Cartulaire de l'église d'Autun précédé d'une Introduction, 2 vol. in-4°, Paris-Autun, MDCCCLXV-MDCCCC.

Gallia christiana in provincias ecclesiasticas ditributa, t. IV., 1 vol. in-folio, Paris, 1728.

J. GARNIER. Chartes bourguignonnes inédites des IXe, Xe et XIe siècles, 1 vol. in-4°, Paris 1845.

J. GARNIER. Chartes de communes et d'affranchissement en Bourgogne, 3 vol., Dijon, Rabutôt, 1867-1877.

PÉRARD. Recueil de plusieurs pièces curieuses servant à l'histoire de Bourgogne, 1 vol. in-folio, Paris 1664.

QUANTIN. Cartulaire général de l'Yonne, 2 vol., Auxerre, MDCCCLIV-MDCCCLX.

RAGUT. Cartulaire de St-Vincent de Mâcon, connu sous le nom de Livre enchaîné, 1 vol. in-4°, Mâcon, 1864.

II. LIBRI RECENIIORES

L'Art de vérifier les dates, t. II, 1 vol. in-folio, Paris, MDCCLXXXIV.

CHIFFLET. Histoire de l'abbaye royale et de la ville de Tournus, avec les Preuves, 1 vol. in-4°, Dijon, MDCLXIV.

CHOMTON. Histoire de l'Eglise Saint-Bénigne de Dijon, 1 vol. Dijon, 1900.

COURTÉPÉE. Description générale et particulière du duché de Bourgogne précédée de l'abrégé historique de cette province, 2e ed., Dijon, 1847.

ANDRÉ DUCHESNE. Histoire généalogique des Ducs de Bourgogne de la maison de France, 1 vol., Paris, Cramoisy, MDCXXVIII.

ANDRÉ DUCHESNE. Histoire généalogique de la maison de Vergy justifiée par chartes, titres, arrests, et autres bonnes et certaines preuves, 1 vol., Paris, Cramoisy, MDCXXV.

JUENIN. Nouvelle Histoire de l'abbaïe royale et collégiale de Saint Filibert et de la ville de Tournus, avec les preuves, 1 vol., Dijon, MDCCXXXIII.

LEBEUF. Mémoires concernant l'histoire ecclésiastique et civile d'Auxerre, 2 vol., Paris, MDCCXLIII.

L'HUILLIER (le R. P. Dom). Vie de Saint Hugues, abbé de Cluny, 1 vol., Solesmes, 1888.

LONGNON. Atlas historique de la France depuis César jusqu'à nos jours. Paris, Hachette, gr. in-8°.

LUCHAIRE. Histoire des Institutions monarchiques de la France sous les premiers Capétiens, 2 vol., Paris, Picard, 1891.

LUCHAIRE. Etude sur les actes de Louis VII, 1 vol. in-4°, Paris, Picard, 1885.

LUCHAIRE. Louis VI le Gros. Annales de son siècle et de son règne (1081-1137), avec une Introduction historique, 1 vol., Paris, Picard, 1892.

ERNEST PETIT. Histoire des ducs de Bourgogne de la race capétienne, avec des documents inédits et des pièces justificatives, 7 vol., Dijon, Darantière, ann. 1885 et sq.

PFISTER. Etudes sur le règne de Robert le Pieux, 1 vol., Paris, 1885.

PIGNOT. Histoire de l'ordre de Cluny, 3 vol, Paris-Autun, MDCCCLXVIII.

DOM URBAIN PLANCHER. Histoire générale de Bourgogne avec des notes, des dissertations et les preuves justificatives, t. I, in-folio, Dijon, MDCCXXIX.

SACKUR. *Die Cluniacenser in ihrer kirchlichen und allgemeingeschichtlichen Wirksamkeit*, 2 vol., Halle, 1892-1894.

SEIGNOBOS. Le Régime féodal en Bourgogne jusqu'en 1360, 1 vol. in-8°, Paris, 1882.

YAHN. *Die Geschichte der Burgundionen*, 2 vol., Halle, 1874.

PRÆFATIO

Undecimo seculo ineunte, Robertus, Roberti Pii regis filius, dux Burgundiæ factus, domum condidit quæ perducta est ad Philippum Rovraci defunctum, mense novembri anni 1361[1]. Hugo III autem et ejus posteri inter principes ex illa gente maximam laudem obtinuerunt. Attamen antea, ab anno 1032 usque ad annum 1162, ducatum tenuerunt quinque duces qui, etsi gloriam minorem consecuti sunt, ingenio tamen præstitisse videntur : qui nominantur *Robertus* I (1132-1176), *Hugo* I (1076-1079), *Odo* I (1079-1102), *Hugo* II (1102-1142), *Odo* II (1142-1162). Qui enim, dum modestia utuntur, majora viribus et periculosa incepta omittunt, nec invidiam movent aut regis, aut clericorum, aut nobilium, imperium gentis suæ firmaverunt[2].

Quia vitam egerunt obscuram plerique de iis siluerunt

1. *Archives départementales de la Côte-d'Or,* B. 310, 3434. Cf. D. PLANCHER. *Hist. de Bourgogne,* t. I, p. 263, t. II, p. 240.

2. Jam novissimo seculo animadverterat D. PLANCHER ducum capetianæ stirpis regnum omnino fuisse placidum. Etenim de Roberto I ita disseruit : « On ne voit point toutesfois que ce prince ait été fort entreprenant sur ses voisins, qu'il ait eu d'armées, ni qu'il ait fait la guerre ; son occupation principale fut de recouvrer ce que le duché avait perdu dans les guerres du Roi son père et dans l'interrègne. On peut même dire en général, que tous les Ducs de la première race dont il fut le Chef ou la souche, furent toujours plus occupez à étendre leur domaine par des voies permises et légitimes, c'est-à-dire par des acquisitions fréquentes et même journalières, qu'à pousser plus loin les limites du Duché par des entreprises hardies et dangereuses ; ils aimoient mieux vivre en paix chez eux, que d'aller porter la guerre chez les autres » (*Hist. de Bourgogne,* t. I, p. 269).

historici, quapropter pauca tantum monumenta rerum Burgundiæ exstiterunt, quæ ad hoc tempus pertineant. Neque in chronicis regiis memorantur sæpe Burgundiæ duces; et enim cum regibus ante Ludovicum VII vel Philippum Augustum raro commercium habuerunt. Superfuerunt tamen quadringentæ chartæ aut non multo secus ab eorum cancellariis missæ [1], et nonnulla alius generis monumenta, quorum hæc in primis videntur expromenda esse : *Historiæ Rodulfi Glabri* [2], *Chronica sancti Benigni divionensis, sancti Peiri Besuensis* [3], *sancti Petri Vivi Senonensis* [4]. Neque spernendum est *Chronicon Flaviniacensis monasterii* ab *Hugone Viridunensi*, nec *Historia Vizeliacensis* ab *Hugone Pictavino*, neque tandem *Vitæ Sancti Hugonis Cluniacensis*, quibus e monumentis et ex *Histo-*

1. Pleræque, ex abbatiarum chartulariis lectæ, Divione depositæ sunt (*Archives départementales de la Côte-d'Or*). Cunctæ editæ sunt et eas invenire poteris, sive apud D. Plancher, t. I, sive apud Petit, t. I et II, vel apud Pérard (*Recueil de pièces curieuses servant à l'Histoire de Bourgogne*).

2. Cf. E. Sackur, *Studien über Rodolfus Glaber* (Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, t. XIV, p. 377-418); Prou, *Præf. Historiarum Rodulfi Glabri*; Gebhart. *Un moine de l'an mil. Raoul Glaber* (Revue des Deux-Mondes, 1er oct. 1891).

3. Chronicon Sancti Benigni a monacho divionensis abbatiæ scriptum est, qui, nisi Procemio in operis principio sito, ignoratur. Natus Salinis (Salins, *Jura*) anno 1025 aut non multo secus, adhuc parvulus a patre Divionem allatus est (nos Divionensis sacri Monasterii a parvulo habitatores et amatores. *Chron. Benigni*, p. 1); itaque ut gratias ageret monasterio a quo disciplinam alimentaque acceperat, anno 1052 chronicon ejus scribere orsus est « cum adiutorio Dei,... rusticana et minime polita narratione. » Simplex narrandi genus : in rebus totius Galliæ quas narraverant pseudo-Fredegarius atque Epitome historiæ Francorum et carolinarum Annalium scriptores, includit quæ ad abbatiam pertinent. Centesimo post anno, Johannes monachus besuense chronicon scripsit, chronicon S. Benigni imitatus, quod tamen usque ad annum 1135 produxit, et alia addidit quædam ex « antiquis membranulis » lecta. Utrumque chronicon continuatum est.

4. Quam floruerint apud Senones, jam nono seculo, scriptores et historici, quanti faciendum præcipue Sancti Petri Vivi chronicon, si certior fieri desideras, cf. : Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen*, t. I, p. 387-388, Lot, *Les Derniers Carolingiens*, p. 338, 345, et præsertim Monod, *Etudes sur l'histoire de Hugues Capet*. I. *Les Sources historiques* (*Revue historique*, 1885. t. II, p. 255-256).

ria ecclesiastica Orderici Vitalis[1] fructus quidam excipi potest. — E recentioribus autem primus *Andreas Duchesne* horum ducum res narravit, et, ut mihi quidem videtur, historiæ fidem servavit. Deinde, postquam temporis spatium effluxit haud minus centum annis, *Dom Plancher*, in primo volumine Historiæ quam de Burgundia narravit, his studium dedit. Postremum, nostra ætate, *Ernestus Petit* dignus est qui laudetur ut qui eruditorum mentem ad hos verterit.

Exponendum igitur, paucis de originibus ducatus dictis, quomodo Duces Burgundiæ res gesserint a principio Roberti I (1032) usque ad Odonem II defunctum (1162). His vestigiis, quanquam perpauca sunt, insistere nitar, et diligentissime monumenta commemorabo, quæ expromere, ideo pensare, parum liquet.

1. Quibus de fontibus, vide WATTENBACH, o.c., t. II, p. 121-123, 190-192.— Ordericus Vitalis, ut mihi quidem videtur, semel in Burgundiam venit : in basilica Cluniacensi conventui sui ordinis monachorum adfuit, anno 1132 (*Hist. eccl.*, V, 29). At abunde ex ecclesiasticis annalibus Senonum nunc amissis sumpsit, quæ Clario quoque adjumento fuerunt (MONOD, loc. cit.; L. DELILLE. Notice sur Orderic Vital, in principio tomi V a Le Prévost editi).

CAPUT I

De Originibus Ducatus Burgundiæ.

I. Quomodo, Merowingis et Carolinis regnantibus, legibus suis usa sit Burgundia. Quamdiu Gundobaldi lex perviguerit. — Quo pacto res administraverit et rexerit Carolus Calvus ; de comitibus missisque dominicis. Quam secure et prospere vixerint Burgundiones ; qua felicitate fruitæ sint abbatiæ. — De Nortmannorum incursionibus.

II. De Bosone, Burgundiæ rege et Augustoduni comite. Quatenus patuerit regnum ejus. — De primis Burgundiæ ducibus et præcipue de Richardo Justificatore. — Quæ species ducatus fuerit decimo seculo.

III. Quomodo Burgundia potitus sit Robertus Pius. De Roberto hujus tertio filio, qui primam domum Burgundiæ ducum condidit.

I. Burgundiones, cum urbibus propter Ararim essent potiti, incolas in unum conjunxerunt eisdem legibus et decretis parentes. Hac regione postea a Francis subjecta, viguit tamen Gundobaldi lex antiqua, et Burgundia quodammodo a ceteris Galliæ partibus secreta visa est. Invito Agobardo, Lugdunensi archiepiscopo, qui eloquentissime inveetatus est duelli judicium quod in consuetudinem versum florebat maxime apud Burgundiones, Carolo Magno imperante[1], carolini impe-

1. AGOBARD. *Liber adversus legem Gundobadi* (MIGNE. *Patrologie latine*, t. CIV, col. 113-125).

ratores nihil aliud mutaverunt nisi quod legis Gundobaldi severitatem mitigaverunt, capitularibus nonnullis adjectis[1]; ita duelli valuit mos ille pravus usque ad quartum decimum seculum[2]. Præter militiam tributumque, ceterorum onerum immunitatem consecuti sunt. Ut erat Burgundionum propria lex, sic exercitus Burgundionum proprius fuit, a Neustriis et Austrasiis distinctus[3]: quod ex inscriptis et documentis apparet[4]. Burgundiones igitur, ut præclare scriptum est, «nihil amiserant præter dominationem. »[5].

Burgundiones tunc alieno imperio ita soluti erant et suas leges firmiter retinebant ut, absente Burgundionum rege, Burgundiæ tamen nomen sive « regni Burgundiæ » frequenter adhibere solerent non solum chronicorum vel annalium scriptores, velut continuator ille Fredegarii et Laurissensium Annalium scriptor, sed etiam

1. Karolus serenissimus imperator augustus, a Deo coronatus, magnus et pacificus, cum episcopis, abbatibus, comitibus, ducibus omnibusque fidelibus christianæ ecclesiæ cum consensu consilioque constituit ex lege Salica, Romana atque Gombata capitula ista... (*Capitulare aquisgranense*, 801-813. Boretius, *Capitularia regum Francorum*, p. 170).

2. Simonnet. *La Féodalité et le servage en Bourgogne* (Mémoires de l'Académie de Dijon, a. 1854, p. 261 et sq.); Seignobos. *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 300. — Vide duelli judicii cujusdam exemplum in Burgundia undecimo seculo apud Pérard (*Recueil de pièces curieuses*, p. 75 et 76) et titulum 22 chartæ communiæ Divionensis : « Si compositio de duello ante ictum vel post ictum fiat, XXXII solidos et VI denarios habebo. Si duellum victum fuerit, victus LXV solidos persolvet. » Cf. Charta Belnensis communiæ, tit. 22, ann. 1203 (Garnier. *Chartes de communes et d'affranchissement en Bourgogne*, t. I, p. 9, 210.)

3. Yahn. *Geschichte der Burgundionen*, t. II, p. 465.

4. Le Blant. *Inscriptions chrétiennes*. Præf., p. lxiii.

5. E. Drapeyron. *De Burgundiæ historia et ratione politica, Merovingorum ætate*, p 46. Cf. Courtépée, t. I, p. 86-87 : « Remarquons, à la gloire des Bourguignons, que dans les différentes révolutions de leur gouvernement, ils ont toujours eu à cœur la conservation de leurs lois, de leurs usages et de leurs privilèges. »

qui acta publica exprompserunt ut illas regnorum divisiones carolina ætate factas[1]. Burgundia Franciæ opponebatur nomine[2]. Cum autem Francia nihil aliud valeret nisi Clodovechi regnum, Aquitania non devicta, nomen Burgundiæ priscum Guntramni regnum designabat[3]. Quapropter intelligere licet quomodo in regnorum divisionibus, anno 837 et 839 confectis, Burgundia usque ad Lutetiam patuerit[4].

1. Regnum Burgundiæ (FREDEGARII *Chronicon*, IV, 1, 78). In regno Burgundiæ (FREDEGARII *continuatio*, 45). Regnis Austrasiorum Burgundionumque (JONAS. *Vita Columbani*, 12). In regno Burgundiæ (*Karoli calvi capitulare tusiacense*, a. 865, apud KRAUSE, *Capitularia regum Francorum*, p. 329). — Undecimo seculo, Burgundiæ ducatus cum institutus est et Roberto I traditus, pristini regni memoria tam vivax permansit ut regnum Burgundiæ vocabulum in publicis actis non semel adhibitum sit. Ita in Roberti I diplomatibus legitur : « Consuetudines ejusdem regni. — Veniente Duce magno Hugone Francorum in regno Burgundiæ. — Burgundie regnum, Ducis auctoritate adeptus » (PETIT, t. I, Preuves, nos 27, 28, 35).

2. Burgundiones et Austrasii cum Francis pace facta (*Liber historiæ*, 40). Tam Frantiæ quamque Burgundiæ (*Vita Hlud. ab auctore anonymo*, 49). In Burgundia et Gallia (*Annales Xantenenses*, a. 869). Mense Maio conventus..., in quo non universi Franciæ primores, sed de orientali Francia atque Saxonia, Baioaria, Alamannia atque Alamanniæ contermina Burgundia et regionibus Rheno adiacentibus adesse iussi sunt (*Annales laurissenses majores, ad ann.* 823.) Quicquid... de regno nostro extra hos terminos fuerit, id est Franciam et Burgundiam (*Divisio regnorum*, 806, cap. 3. BORETIUS, *Capitularia regum Francorum*, p. 127).

3. KURTH. *Là France et les Francs dans la langue politique du Moyen-âge* (Revue des questions historiques, ann. 1895, t. I). Cf. LONGNON. *Atlas historique*, prima pars, textus, p. 47.

4. De Burgundia Tulensem (pays de Toul), Odornensem (l'Ornois), Bedensem (aux bords de l'Ourthe), Blesinsem (le Blésois), Pertinsem (le Pertois), utrosque Barrenses (les pays de Bar-le-Duc et de Bar-sur-Aube), Brionensem (le pays de Brienne), Tricassinum (le pays de Troyes), Altiodrensem (l'Auxerrois), Senonicum (le Sénonais), Wastinensem (le Gâtinais), Milidunensem (le pays de Melun), Stampensen (le pays d'Etampes), Castrinsem (le pays de Châtres), Parisiacum (le Parisis). *Annales Bertiniani, ad annum* 837. — Partem... Burgundiæ, id est vallem Augustanam (Val d'Aoste), comitatum Vallissiorum (Valais), comitatum Waldensem usque mare Rhodani (pays de Vaud)... Alteram partem Burgundiæ, id est comitatum Genavensem (Genevois), comitatum Lugdunensem (Lyonnais), comitatum Cavallonensem (Châlon-sur-Saône), comitatum Amaus

Quæ cum ita fuerint, mirari non possumus quod, ætate carolina, fautores « unitatis imperii » privilegia Burgundionum denuntient toti christianitati incommoda : « Utinam placeret omnipotenti Deo, exclamabat Agobardus, ut sub uno piissimo rege una omnes regerentur lege, ea ipsa ad quam et ipse vivit et proximi ejus respondent. Valeret profecto multum ad concordiam civitatis Dei et æquitatem populorum. Sed quia hoc grande est, et forsitan homini impossibile, saltem una hæc, de qua sermo est (lex Gundobadi), non solum ut inutilis, sed etiam ut noxia, de medio auferretur ! »[1]

Quibus permotus, Carolus Calvus, cum illa antiqua instituta firmiora judicaret quam ut delere posset, tamen et in Burgundiam velut in Galliam totam regiam auctoritatem per missos et episcopos inducere nisus est. Eo enim regnante, Burgundia, præclare constituta, diligenter accurata, frequentissime inspecta, divisa fuisse videtur in comitatus vel pagos, quorum primum tota series servatur certis documentis ; qui fuerunt comitatus Augustodunensis, Matisconensis, Divionensis, Belnensis, Hatuarii, Tornodorensis, Dusmensis, Nivernensis, Autissiodorensis, Avalensis[2]. Supersunt etiam mandata plurima quæ « missi » perferrent « omnibus episcopis, abbatibus, abbatissis, co-

(Amaous), comitatum Hatoariorum (Attoar), comitatum Lingonicum (Langrois), comitatum Tullensium (pays de Toul). *Annales Bertiniani, ad annum* 839.

1. Agobard. *Liber adversus legem Gundobadi*, 14 (Migne. *Patrol. lat.*, t. CIV, col. 126).

2. *Capitulare missorum silvacense*, nov. 853, cap. 11-12 (Krause, p. 276). — De Burgundiæ pagis, postea comitatibus dictis, vide præsertim Garnier, *Chartes bourguignonnes des* IXe, X^e^ *et* XIe *siècles*. Introd., et Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne*, t. II. Introduction.

mitibus et vassis... seu cunctis Dei... fidelibus in regno Burgundiæ consistentibus », ut eos hortarentur ad parendum regi ejusque legatis[1]. Ex omnibus documentis quæ ad hoc consilium referenda sunt, allocutio cujusdam missi in primis est animadvertenda, anno 857 apud Divionenses habita[2]. Postremum constat comites jus dixisse et « missos » officio esse functos servato ordine in pago divionensi usque saltem ad Caroli Calvi mortem ; multis enim ex actis apparet mallum semper constitui, præside comite, scabinis judicantibus et hominibus liberis spectantibus[3]. Tum maxima fuit auctoritas missis, inter quos præcipue eminuerunt Isaac, Lingonensis episcopus, Odoque comes, qui, Carolo Calvo regnante, in Divionensi urbe et in Curte Arnonis mallum tenuerunt de rebus iterum judicandis[4].

1. Volumus et expresse præcipimus, ut in his, quæ subiuncta sunt, exequendis et in aliis, quæ ad Dei voluntatem et sanctæ ecclesiæ statum atque ad nostram fidelitatem et ad nostrum honorem ac ad regni soliditatem necnon ad commune fidelium nostrorum salvamentum pertinent, unusquisque secundum quod suo ordini et suæ personæ competit, istis missis nostris obedientes et adiutores in omnibus existatis (*Capitulare tusiacense in Burgundiam directum*, 865. KRAUSE, p. 329). — Sequuntur (p. 329-332) XVI cap., « quæ... capitula, docet textus, misit domnus rex Karolus in Burgundiam exequenda per Gauslinum et Fulconem et per Waltarium et Lantvinum. »

2. *Allocutio missi cuiusdam divionensis*, 857, post 14 mensis febr. (KRAUSE, p. 291-292).

3. PÉRARD. *Recueil de pièces curieuses*, p. 14, 33, 34, 36, etc. Cf. SEIGNOBOS, *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 85.

4. Anno... ab Incarnatione Domini DCCCLXVI, residens Isaac Episcopus et Oddo comes, vel ceteri missi Dominici... in mallo publico ad res audiendas vel iudicandas... In tertio vero anno in Curte Arnonis ipse Domno Isaac episcopo, Odone comite, Hildebaldo Abbate, Bertranno atque ceteris missis Dominicis mallum gerentibus... (*Chronicon Benigni*, p. 103). — Ansberto et Hildebrando missis dominicis... in pago qui dicitur Augustidunense (PÉRARD, *Recueil de pièces curieuses*, ann. 868, p. 34).

Nec solum præclare recta est Burgundia a Carolo Calvo, sed etiam, Nortmannis irrumpentibus, securitatem quamdam consecuta est. In medio regno sita, continebat fontes et superiorem partem Sequanæ et Araris, per quæ viam indagare barbari poterant. Dum autem Nortmannis, ut ad Araris vallem pervenirent, obambulandum erat circum Europam per Herculeum fretum, deinde Rhodani impetum lintribus vincere, australem Burgundiæ partem, qua hostibus natura ipsa opponebatur, rex neglexit : longe aliter septentrionales habuit. Primum, anno 852, Nortmannos, cum Sequanæ viam ingressi sunt ad Augustodunum a Sydroc et Godefrido ducti, Carolus, fratre Lothario adjuvante, continuit[1] ; decimo post anno, viam clausit omnino, dum exstruit castrum Pistense[2] et urbem Parisiorum mœnibus circumdat, quam legimus apud Flodoardum vocatam esse « caput et introitum Neustriæ et Burgundiæ[3]. »

Quo ex adjumento Burgundiæ monasteria præsertim fructum perceperunt. Inter clarissima, præclarum illud monasterium Sancti Benigni Divionensis, quinto seculo a Gregorio Lingonensi episcopo fundatum, Ludovici Pii regno jam exeunte, magis in dies labebatur. Missus Isaac Lingonensis abbatiam restauravit; sancti Benedicti absoluta disciplina ad usum revocata est, quamobrem crevit celerrime monachorum numerus[4].

1. *Fragm. chron. Fontanellensium* (SS. II, p. 304).

2. *Annales Bertiniani, ad ann.* 862. — *Capitula pistensia* (KRAUSE, p. 303).

3. FLODOARDI *Historia remensis ecclesiæ*, IV, 5 (SS. XIII, p. 303).

4. Basilicam sancti Benigni iam pene dirutam in pristinum statum restauravit. onachicum ordinem restituit (*Chron. Benigni*, p. 97). Cf. *Caroli Calci Diploma*, 870, 21 jul. : Monasterium, ubi sanctus Benignus martyr

Itaque a sancti Benigni chronici scriptore laudibus ornatur Carolus Calvus et in abbatiæ necrologio amplissimas partes obtinet[1]. At, ut nihil omittam, enumerare debeam cuncta monasteria aut ecclesias Burgundiæ; perpauca enim a rege beneficium non acceperunt. Augustodunensis ecclesia immunitatibus quibusdam donatur ad instaurandam ecclesiam a Sarracenis antea incensam[2]; Flaviniacensis abbatia augetur[3]; monachi Treñorcienses asylum accipiunt[4]; abbatiæ sancti Germani Autissiodorensis Carolus etiam benefacit[5]. Ipsi regiæ gentis principes in clericis Burgundiæ numerantur. Sic Lotharius Reomai monasterii monachus factus est, postea abbas Sancti Germani autissiodorensis; deinde Carlomannus ejusdem Reomai monasterii abbas, antequam, recusato patris imperio, pœnam solvit luminum orbitate[6].

corpore requiescit, iuxta Divionense castrum situm, quondam Religiosorum turma monachorum refectum, nunc pessundatum, et pene adnullatum (PÉRARD. *Recueil de pièces curieuses*, p. 149).

1. Dominus Karolus imperator hujus loci reedificator (*Necrologium S. Benigni*, editum a Bougaud simul atque *Chronicon*, p. 98). — Ita breviter narrat Sancti Benigni Chronici scriptor abbatiæ historiam : « Abbatia, a sancto Gregorio Lingonensi Episcopo fundata,... a Guntranno rege stabilita et ditata, a Carolo Imperatore cognomento Calvo, et domno Isaac Episcopo restaurata » (*Chron. Benigni*, p. 138). — Undecimo seculo exeunte, Hugo I dux memorat etiam nomen « Karoli... Calvi, ejusdem cœnobii restauratoris » (D. PLANCHER, t. I. Preuves, nos XLI, XLV).

2. D. PLANCHER. t. I. Preuves, n° VII. — DE CHARMASSE. *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I, p. XXXIX et Preuves, Ire partie, nos 8, 9, 15, 18, 19, 28.

3. HUGONIS *abbatis flaviniacensis Chronicon* (SS. VIII, p. 355).

4. CHIFFLET. *Histoire de Tournus*, p. XLII et Preuves, p. 214-215. — JUENIN. *Nouvelle Histoire de Tournus*, p. 48 et sq.

5. LEBEUF. *Mémoires concernant l'histoire ecclésiastique et civile d'Auxerre*, t. II, preuves, p. 2-5. — QUANTIN. *Cartulaire général de l'Yonne*, t. I. Introd., p. V-VI. Preuves, nos XXXIV, XXXVI, XXXVII-XLII, XLV-XLVII, LII; t. II, nos IV-V.

6. *Ann. Bertiniani, ad ann.* 861, 865; D. PLANCHER, t. I, p. 132-133. — Non mirandum est quod Burgundiam dilexerit Carolus Calvus, si quidem in eam

Sed postquam defunctus est ille Burgundionum propugnator, miseriis et calamitatibus, ut Gallia ipsa, profligata est Burgundia. Ab anno 877, id est anno post imperatoris mortem, a chronographo Sancti Benigni accipimus monasterium, quamvis ab abbate Bertilone callide rectum sit, iterum esse relapsum « ob infestationem paganorum ». Immo infelix ille abbas a Nortmannis deprehensus est et decollatus[1]. Postea, anno 889, Nortmannis cum, accensi Carlomanni morte, Caroli Calvi nepotis, jam Sequanæ viam indagabant a Rothomago, Burgundionum et Neustriorum exercitus quidam obstare nequivit quod alligatus impediebatur a Reynoldo, Cenomannico duce[2]. Postremum, anno 886, post Lutetiam obsessam, Carolus Crassus Burgundiam vastandi licentiam paganis dedit quod auctoritatem suam abnuissent incolæ[3]. Itaque

confugit, cum pars septentrionalis regni a fratre Ludovico occupata est (*Ann. Bertiniani, ad ann* 858, 861). Quapropter Burgundiæ episcopi, ut eum remunerarentur, præcipuis regni synodis adfuerunt. Ita in synodis Vermeriæ (853), Saponarias (859), Pontigonis (876), actis ejus subscripserunt Teutboldus et Isaac, Lingonenses episcopi, Jonas et Adalgarius Augustodunenses episcopi, Godelsadus et Gerboldus, Cabillonenses episcopi, Braidingus vel Groindingus et Lambertus, Matisconenses episcopi, Abbo et Wala, Autissiodorenses episcopi (KRAUSE. *Capitularia regum Francorum*, p. 350, 426, 450). Immo Adalgarius, Augustodunensis episcopus, velut missus ad Romam profectus est anno 876 (*Ann. Bert., ad ann.* 876).

1. *Chronicon Benigni*, p. 105-106.

2. Inter hæc omnes qui morabantur Neustria atque Burgundia, adunantur, et collecto exercitu adveniunt quasi debellaturi Nortmannos. Sed ut congredi debuerunt, contigit ruere Ragnoldum, ducem Cinomannicum, cum paucis, et hinc rediere omnes ad loca sua cum magna tristitia; nil actum utile (*Ann. Vedastini, ad ann.* 885).

3. Imperator perterritus quibusdam per Burgundiam vagandi licentiam dedit... si a regno eius statuto inter eos tempore discederent (*Ann. Fuldenses, auctore Meginhardo, ad ann.* 886.) Et factum est vero consilium miserum; nam... data est via sine impedimento, ut Burgundiam hieme deprædarent (*Ann. Vedastini, ad ann.* 886). Ad extremum concessis terris et regionibus, quæ ultra Sequanam erant, Nortmannis ad depredandum, eo quod incolæ illarum sibi obtemperare nollent... (REGINONIS *Chron., ad ann.* 887).

Nortmanni cum omni exercitu per Sequanam et Icaunam ascendunt, nullo obstante, sub ripas trahunt naves, ibique castris positis, per continuos sex menses omnem agrum circa Senones depopulantur totamque Burgundiam omni modo vastant, id est rapinis, incendiis et cædibus[1]. Incenduntur quoque monasteria Sancti Germani Autissiodorensis et Sancti Petri Besuensis non longe a Divionensi urbe[2].

II

Burgundiæ ducatus quidam, lege propria præditus, ex necessitate est instauratus, ut constat e supra narratis; primum quia libertatis memoriam non amiserant Burgundiones qua frui assueverant; deinde quia frustra regiæ potestati studuerat Carolus Calvus; postremum quia, Nortmannis infestantibus, venerunt reges si non voluntate quidem carentes at certe consilii maturitate et corporis valetudine. Itaque Burgundiones cum, assuetis propugnatoribus destituti, paganos sua ope debellaturi essent, a defensoribus propriis auxilium petiverunt et eis imperandi jus simul ac præsidii

1. *Ann. Vedastini, ad ann.* 886; Reginonis *Chron., ad ann.* 888; *Chronicon Sancti Petri vivi Senonensis* a Clario scriptum (Bibliothèque historique de l'Yonne, t. II, p. 479). Urbs obsessa liberata est, ut narratur, ab Eberardo archiepiscopo, qui in chronicis laudatur ut « vir totius sanctitatis et sapientiæ nitore fulgidus. »

2. *Ann. Lemovicenses* (SS. II, p. 251); *Chronicon besuense*, p. 279-280. — Fons Besuus per tres dies a Nortmannis depopulatus est, et occisi sunt in monasterio sancti Petri monachi quorum ista sunt nomina : Ayrmannus, Genesius, Beraldus, Sifardus, Rodco, Ansuinus presbiter, Adalricus puerulus (*Ann. besuenses, ad ann.* 888).

curam tribuerunt, quod arbitrabantur dignitatem laboris esse pretium.

Boso, Buivini filius, Arduennæ comitis, etsi Burgundio minime fuit, contra quam diu creditum est — erat enim Lotharingus sanguine, — affinitatibus tamen et possessionibus rationis habebat aliquid cum regione intra Rhodanum Ligerimque sita[1]. Itaque cum frater esset et legatus Caroli Calvi qui sororem ejus Richildam uxorem duxerat, imperandi studio incensus, postquam Ludovicum Balbum defunctum esse audivit successionemque vix adulescentibus obvenisse, Burgundiæ regendæ incepit incumbere[2]. Mantalensi conventu (15 mensis octobris 879), Burgundiæ episcopi, partim minis territi, partim cupiditate illecti, plerique infidelium metu exagitati assenserunt[3], et petentem ipsum sacraverunt regem inunctione, dicentes: « Et quoniam.... tam ipsi sancti patres, quos gratia divina episcopos vocari concessit, quam principes et totum vulgus...., nullius compatientis fulciebantur vel iuvabantur auxiliis, præsertim cum rege communi morte recepto nullus in eos sua viscera per karitatis largitatem extenderit, anxiari plurimum compulsi sunt, quia non solum in inter-

1. Poupardin. *Le Royaume de Provence sous les Carolingiens*, p. 310 sq. — Vide apud Pérard (*Recueil de pièces curieuses*, p. 25) Eckardi testamentum, quo quidam historici confisi dicebant Bosonem filium esse Theoderici, Augustodunensis comitis. — De veris originibus Bosonis, cf. Poupardin, *op. cit.*, p. 41 sq. et E. Bourgeois, *Le Capitulaire de Kiersy*, p. 91-93.

2. Audita morte Ludowici e Provintia egreditur totamque Burgundiam occupare nititur..., pro nihilo ducens adulescentes filios Ludowici et velut degeneres despiciens (Reginonis *Chron.*, *ad ann.* 879).

3. Partim comminatione constrictis, partim cupiditate illectis (*Ann. Bert.*, *ad ann.* 879).— Partim minis partim suasionibus (Reginonis *Chron.*, *ad ann.* 879).— Cf. *Conventus mantalensis*, apud Krause, *Capitularia regum Francorum*, p. 365-369.

nis per invisibilem inimicum, sed etiam in apertis per visibiles inimicos, etiam ex his, quos ipsa Christo peperit, sancta mater ecclesia pessumdari funditus videbatur.... Omnes inflamati Deum omnium principum principem pro hac angustia medullitus exoraverunt, ut is, qui curam singularem habet mortalium et cuius dispositio curricula vergit omnium seculorum, et rectum daret consilium et evidens auxilii promeret indicium. Denique cui patet omne cor et omnis voluntas loquitur, fatigatos maiorum et minorum inspiciens animos quoddam clarescere fecit solatium, et quodam modo præsentavit suffragium : sane omnibus unum sapientibus et per divinam visitationem indivisibiliter ambientibus cordi fuit exhibitus homo, iamdudum in principatu domni Karoli defensor et adiutor necessarius ; cuius post se filius eiusdem imperatoris cernens eius insignem prudentiam amplificare delegerat domnus rex Ludovicus [1] ».

Quam late patuerit hoc Burgundiæ regnum a Bosone instauratum, apparet ex conventus actis Mantalensis quibus subscripserunt archiepiscopi Lugdunensis, Viennensis, Tarantasiensis, Arelatensis, Vesontionensis, episcopi Aquensis, Augustodunensis, Valentinensis, Gratianopolitanus, Vasensis, Diensis, Mauriennensis, Vapincensis, Tolonensis, Cabillonensis, Lausannensis, Aptensis, Matiscensis, Vivariensis, Massiliensis, Arausicensis, Uzeziensis, Avinionensis, Regensis [2]. Nonne hoc regnum valet si non regnum Gun-

1. *Electio Bosonis regis* (KRAUSE. *Cap.*, p. 368).

2. Lyon, Vienne, Tarentaise, Arles, Besançon, Aix, Autun, Valence, Grenoble, Vaison, Die, Maurienne, Gap, Toulon, Châlon, Lausanne, Apt, Mâcon, Viviers, Marseille, Orange, Uzès, Avignon, Riez (KRAUSE. *Cap.*,

tramni aut Carolinorum ætatis, at certe illam Burgundiam a Gundobaldo præclare rectam[1]? Attamen inter tot « Burgundias », ut ait Pseudo-Fredegarius[2], hæc Burgundionum propria videbatur quam intra Ararim et Sequanam quondam, romano tempore, retinebant Lingones et Ædui; hanc eamdem, aut non multo secus, sortitus erat Carolus Calvus apud Wormatias et Viridunum[3]; dum omnia mutantur et labuntur, in uno et eodem statu superfuit[4]. Hæc « Burgundia inferior », hæc « celtica Burgundia » Burgundiæ ducatus jamjam evasura erat[5].

p. 369). — Quum Burgundiæ rex factus est Boso, comitis Augustodunensis dignitatem Theoderico qui eam retinebat emit (*Ann. Bert., ad ann.* 879; De Charmasse. *Cartulaire de l'église d'Autun*, p. 86. Cf. Poupardin, *Le Royaume de Provence sous les Carolingiens*, p. 62; Bourgeois. *Le Capitulaire de Kiersy-sur-Oise*, p. 90).

1. Tunc Gundobadus et Godegisilus fratres regnum circa Rhodanum aut Ararem cum Massiliensem provintiam retinebant (Gregorii Turonensis *Hist. eccl.*, II, 32, ed. Arndt, p. 93). Cf. Yahn, *Geschichte der Burgundionen*, t. II, p. 210-219; Longnon, *Géographie de la Gaule au* VIe *siècle*, p. 70 sq.; Roget de Belloguet, *Carte du Premier royaume de Bourgogne*, avec un Commentaire sur l'étendue et les frontières de cet État en 517, Dijon, Frantin, 1848, in-8°.

2. Fredegarii *Chronicon*, IV, 57-58.

3. Provinciam Æduorum (Erchanberti *breviarii continuatio. ad. ann.* 840. SS. II, p. 329). Maximam partem Burgundiæ (*Francorum regum Historia.* SS. II, p. 324). — Cf. Longnon. *Atlas historique*, planche VI, n° 2, et texte, 2^e livraison, p. 72-73.

4. Anno 17. regni sui Lingonas de universas regni sui provincias mense Madio exercitus adunatur (Fredegarii *Chron.*, IV, 38). Hic (Halinardus divionensis) fuit oriundus Burgundia, nobilium virorum exortus prosapia. Nam pater eius Lingonum, mater vero Heduorum civis exstitit (*Chron. Benigni*, p. 182). — Vide etiam Garnier. *Chartes bourguignonnes des* IXe, X^e *et* XIe *siècles*, p. 47-48, et quod adtinet ad Burgundiæ fines, dissertationem quam edidimus (*Revue bourguignonne de l'Enseignement supérieur*, Dijon, 1897).

5. Heinricus filius meus, inclitus Celtice Burgundie dux (*Diploma Roberti Pii, regis.* II. F., X, p. 612). Dux et Rector inferioris Burgundie (*Diplomata Roberti I, ducis Burgundiæ.* Petit, t. I, Preuves, n°s 30, 36). Urbanus episcopus... episcopis, abbatibus per Aquitaniam, Guasconiam et inferio-

Bosonis tamen regnum non agnoverant Caroli Calvi nepotes quippe qui sese despoliatos arbitrarentur; itaque Ludovici Balbi alter filius Carlomannus, cui tributa erat Burgundia, junio mense anni 880 cum ceteris carolinis regibus, Carolo Crasso scilicet et Ludovici junioris legatis, in Gundulfi villa congressus, adversus spoliatorem ire decernit. A julio mense congreditur agmen; Matisco, Vienna deprehenduntur, ut jam Boso nullus sit[1]. Interea defuncto Carlomanno, iterum caret propugnatore inferior illa Burgundia[2]. At Bosonis frater junior quidam, Richardus nomine, eisdem virtutibus præditus, pæne eumdem cursum secutus, Carolo Calvo parendo florere cœpit, actis conventus Papiensis subscripsit, quibus Franciæ orientalis Italiæ rex ab episcopis et italicis optimatibus creatus est[3]. Qui quod carolinæ genti maxime favebat, fratris tyrannidem reprobaverat et ad eam frangendam magno fuerat adjumento, Augustodunensem comitatum Bosoni subreptum accepit[4]. Richardus ille Nortmannos, cum iterum in Burgundiam annis 892 et 898 irrupissent, bis fudit, Argentoili et apud Sanctum Florenti-

rem Burgundiam constitutis (*Epistolæ Urbani II papæ*. H. F., XIV, p. 697). « La basse-Bourgogne, qui depuis a eu le titre de Duché, » dixit D. PLANCHER, t. I, p. 125. — Cf. YAHN., o.c., t. II, p. 11.

1. Vide *Annales Bertin., ad ann.* 880 et sq., et POUPARDIN, o.c., p. 114-135.

2. *Ann. Bert.; Fuldenses, ad ann.* 884.

3. Signum Bosonis ducis et missi Italiæ atque sacri palatii archiministri... Signum Ricardi comitis (*Karoli II Capitulare papiense*, 876 febr., apud KRAUSE, p. 104).

4. *Ann. Bert., ad ann.* 882. — Anno 879 (8 nov.) Boso diplomati cuidam suscribit velut rex et Augustodunensis comes (DE CHARMASSE. *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I. Preuves, 1re partie, n° 17).

5. Sub ipso tempore venerunt Normanni in Burgundiam ad sanctum Florentinum. Occurrit autem illis Richardus dux Burgundiæ cum suo exer-

hum; nonnullis annis postea Nortmannis institit fugientibus, et apud Carnutum commisso prælio, invasorum pæne sex millia cecidit[1].

Itaque non solum Burgundiones sed etiam reges carolini Richardo maximas egerunt gratias, quod pulcherrimæ provinciæ saluti fuisset. Pristinam igitur renovaverunt dignitatem laudatissimam apud veteres Burgundiones, et Richardum ducem constituerunt[2]; qui Justificator appellatus propter justitiæ studium, ut in chronicis scriptum est[3], primus fuit in sex ducum serie qui per

citu in territorio Tornodorense, inruensque in eos, percussit multitudinem ex eis in ore gladii, et reliqui fugerunt 5 Nonas Iunii (*Historia Francorum senonensis.* SS. IX, p. 365). — Nortmanni in Burgundiam ad sanctum Florentinum (*Annales Sanctæ Columbæ senonensis.* SS. I, p. 104). — *Chronicon S. Petri vivi senonensis auctore Clario* (*Bibl. hist. de l'Yonne,* t. II, p. 280). — Burgundia tunc vastata est a Normannis; quibus occurrens prefatus dux Richardus in loco vocato Argentoilo, commisso cum eis prelio cesa est eorum quam plurima multitudo: sicque Dani humiliati retro redire sunt coacti (*Chronicon Benigni,* p. 115).

1. 911, 20 mensis julii (POUPARDIN, p. 337). Cf. *Historia Francorum senonensis,* SS IX, p. 365; *Annales Sanctæ Columbæ senonensis,* SS. I, p. 104; *Chron. S. Petri vivi senon. auctore Clario* (*Bibl. hist. de l'Yonne,* t. II, p. 480); *Gesta pontificum autissiodorensium* (*Bibl. hist. de l'Yonne,* t. I, p. 369); *Chron. besuense,* p. 280; *Chron. Benigni,* p. 115.

2. Quo tempore, ignoratur; at constat ducis titulum ei tributum esse pro beneficiis, ut e laudibus apparet quibus in chronicis ornatus est. — In *Gestis episcoporum autissiodorensium* persæpe de claro vel magno Richardo agitur (Richardi magni et florentissimi principis... Richardi cluentissimi principis... Richardi magni principis... Præcellentissimi domni Richardi principis. *Bibl. hist. de l'Yonne,* t. I, p. 367, 371-372, 374). Cf.: hortatu et auxilio domni Richardi excellentissimi ducis (*Cartulaire d'Autun,* éd. de Charmasse, t I. Preuves, 1re partie, no 23). — Quos inter laudatores superemine t Iohannes monachus dicens: «Verumtamen cum nemo repertus sit, qui eis (Nortmannis) posset vel auderet resistere, fuit isdem temporibus quidam Dux nostrarum partium, Richardus nomine... Hic pro libertate patriæ partim zelo succensus, plurimis vero Ecclesiis Dei defendendis, Deum habens adjutorem, expugnare illos aggressus est» (*Chron. besuense,* p. 280).

3. Richardus..., qui a justiciæ studio dictus est, et ipse justificator (*Chron. besuense,* p. 280). — Post mortem Richardi Ducis, qui ab exequutione iustitie cognomen accepit (*Chron. Benigni,* p. 123).

seculi spatium ducatum retinuerunt. Hi sunt : Rodulfus rex, Hugo niger, Hugo albus vel magnus, Giselbertus, Otto et Henricus.

Ceterum domum propriam illi non condiderant[1], nec erat revera ducatus quidam. Nihil tum aliud agebat dux Burgundiæ decimo seculo nisi quod militibus imperabat, regibus carolinis probatus, jussusque hostes repellere et regni partem quamdam tegere vel gubernare. Quid plura? Burgundia velut « marcha » quædam est facta, quod etiam a « marchionis » appellatione confirmatur quam Richardus in Actis aliquando sibi adhibuit vel ab Annalium scriptoribus accepit[2]. Neque Richardus neque successores perpetua dignitate se frui arbitrati sunt aut regionem possidere quam defendebant[3] : quod contra, quoties mutabantur reges, toties renovanda erat ducum auctoritas. Ita Hugo magnus bis dux Burgundiæ est nominatus, anno 943 a Ludovico Transmarino et anno 954 a Lothario[4]; deinde Hugone defuncto, filii ejus Hugo et Otto regem congressi sunt et coram omnibus ei fidelem militiam per jusjurandum spoponderunt,

1. Falsa sunt ex parte quæ finxit Chronici Benigni scriptor (*Chron. Benigni*, p. 123).

2. Richardus marchio de Burgundia obiit (Flodoardi *Ann.*, *ad ann.* 921. SS. III, p. 369). Comes et marchio... nobilissimus marchio (De Charmasse. *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I. Preuves, p. 22, 35). Cf. Seignobos. *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 156 et note 3; Poupardin, o. c., p. 338 sq.

3. « Ipse namque quamdiu vixit, Carolo regi semper fidelis exstitit, » ita dixit de Richardo Justificatore Chronici sancti Benigni scriptor (p. 123); etenim Carolo Simplici eum adfuisse videmus velut quemdam ministrum palatii, Vermeriæ, Remis, Trecas, Gundulfi villa, etc. (Poupardin, o. c., p. 336-337).

4. Rex ei ducatum Franciæ delegavit omnemque Burgundiam ipsius ditione subiecit... Burgundia quoque et Aquitania Hugoni dantur ab ipso (Flodoardi *Ann.* SS. III, p. 390, 402).

quapropter Lotharius ne benevolentia vinceretur, Pictavorum terra Hugonem donavit Ottonemque Burgundia [1].

Ineunte undecimo seculo, creatus est tandem ducatus Burgundiæ accepitque propriam domum, eodem tempore quo, sua auctoritate confisi, reges abrogandos Burgundiæ duces, ducatum sibimet ipsis regendum esse censuerunt.

III

Anno 1102, 15 octobris mensis, apud Pulliacum super Ararim Richardi Justificatoris ultimus heres defunctus est [2], Henricus dux, « comptus bonis moribus, præcipue mansuetudine, vir ecclesiasticus » : fratris Hugonis Capiti diploma quoddam eum « venerandum » declarat [3]. Statim Robertus Pius, qui tunc Franciam regebat, in animo habuit ducatum recuperare. At contra censebant Burgundiones. Henricus Gerbergam duxerat, viduatam post mortem Adalberti Eporediensis marchionis, et uxoris filium Ottonem Willelmum adoptaverat. Ille regionis nobiles connubiis sibi conciliavit, ecclesiam vero bona tegendo et subrepta restituendo [4]. Itaque

1. Adsunt quoque ducis defuncti filii duo, Hugo et Otto, qui etiam regi fidelem militiam per iusiurandum coram omnibus spondent. Quorum benignitati rex non imparem liberalitatem demonstrans, Hugonem pro patre ducem facit, et insuper terram Pictavorum eius principatui adicit; Ottonem vero Burgundia donat (Richer. *Historiæ*, III, 13. SS. III, p. 612).

2. *Annales Sanctæ Columbæ senonensis*, 1002. SS. I, p. 105; Odoranni *Chronicon* (*Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 396); Rodulfus Glaber, *Hist.* II, VIII, 15. — Cf. Pfister. *Études sur le règne de Robert le Pieux*, p. 255, n. 5.

3. *Chron. Benigni*, p. 135. Cf. Petit, t. I, p. 69. — De illo Henrico, lege Lot, *Les derniers Carolingiens.*

4. Hic pro multis in hoc loco conlatis beneficiis, aliqua ex parte a nobis

omnes Burgundiæ proceres, præter Hugonem Cabillonensem, autissiodorensem episcopum, adversus Robertum regem rebellaverunt, Ottonisque Willelmi partes foverunt[1]; e quibus hi maxime digni sunt qui nominentur : Bruno Lingonensis episcopus, Willelmus monasterii Sancti Benigni divionensis abbas, Landericus, Nivernensis comes. Bruno autem, cum maxime prudentia vigeret et auctoritate ingenii, maxime regi timendus videbatur[2]. Itaque maximo labore victoriam retulit Robertus Pius. Per tredecim annos belligeravit (1003-1016), singula ex ordine castra expugnavit, Autissiodorense, Avalense, Senonense, Divionense, nec fortasse vicisset nisi defunctus esset Bruno Lingo-

descriptis, promeruit ut semper memoria ipsius agatur ab huius loci monachis (*Chron. Benigni*, p. 181). — Quo (Hugone magno) decedente, supradicti pervasores et eorum heredes insurrexerunt, et calumniam et violentiam iterum supradictis monachis intulerunt, usque dum Otto, cognomento Willelmus, sancto Petro restituit et reddidit (*Diploma Roberti I, ducis Burgundiæ, pro Cluniacense abbatia.* PETIT, t. I. Preuves, n° 27). — RODULFUS GLABER sic Ottonis Willelmi conditionem breviter depingit : « Licet advena,... in tantum convaluit ut in divitiis et in militia non inveniretur secundus in patria. » (*Hist.* III, II, 6).

1. Burgundiones ei fuere rebelles, nolentes eum suscipere in civitatibus et castris, que fuerant ducis Heinrici, ejus videlicet avunculi... Rex habens etiam secum Hugonem ejusdem urbis pontificem, solum ex omni Burgundia parti regis faventem... (RODULFUS GLABER., *Hist.* II, VIII, 15-16). — Rebellaverunt... Burgundiones contra regem Robertum, nolentes eum recipere (*Historia Francorum Senonensis.* SS. IX, p. 369).— Burgundiones autem nullo modo ei se subdere volentes unanimiter ei resistebant (*Ex* HUG. FLORIAC. *Chron.*, H. F., X, 221). — Contigit... tunc temporis, post mortem scilicet Henrici ducis,... ut Burgundionum permaximi regi Rotberto rebelles existerent, ita ut illius ditioni nollent omnimodis esse subditi, nec ejus parere imperiis (*Gesta pontif. autissiod. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 387) — Burgundiones Ottonem-Willelmum censebant jure heredem esse Henrici ducis, quod talibus verbis explicat *Sancti-Benigni Chronici* scriptor : « Otto Comes cognomento Willelmus, successor Hinrici Ducis et heres » (p. 134).

2. Non clippeo et lancea, sed consilii prudentia sibi principes patriæ omnes devinxerat (*Chron. Benigni*, p. 173).— De Willelmo abbate et quapropter obviam Roberto Pio iverit, lege SACKUR, *Die Cluniacenser*, t. II, p. 1 et sq.

nensis et episcopus novus episcopatum accepisset, Lambertus nomine, qui consiliis regis favebat[1].

Interea tamen, quod incolæ auctoritatem abnuerant, prudentiæ consilium cepit Robertus, atque ut Burgundiones sibi conciliaret, Henricum juniorem filium titulo ducis Burgundionum donavit, Hugone seniore jam ad Franciæ regnum designato; sed ficta potius quam vera ita concessit. Oportebat enim Henricum novem annos tunc natum patri ducendi curam cedere ; immo, subito Hugone defuncto, a quo regni hereditatem accepit Henricus, titulum Burgundiæ ducis Robertus Pius rursus delevit[2]. At longe aliter evenit ac speraverat.

Burgundiones patriam subjectam lugebant, Divionensemque in primis urbem « quæ, ut dicebatur, sicut Jerusalem, erat libera, facta est ancilla[3] ». Quam Burgundionum ægritudinem ad suæ causæ commodum traxit Constantia regina; illa enim Roberto filio quem plurimi faciebat, si non Franciæ regnum, at certe pulchrum illum Burgundiæ ducatum concedi cupiebat[4]. Itaque Robertus, Burgundiæ agitationis beneficio auxiliique fraterni, castella duo, Belnense et Avalense, expu-

1. De his rebus vide Rodulf. Glab., *Hist.*, III, viii; *Chronicon Benigni*, p. 172 sq.; *Chronicon S. Petri vivi senonensis* (*Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 498 sq.); *Gesta pontif. autissiod* (*Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 388 sq.)— Cf. Pfister. *Études sur le règne de Robert le Pieux*, p. 254 et sq.

2. Pfister, o. c. p. 265. — Luchaire. *Histoire des Institutions monarchiques de la France sous les premiers Capétiens*, t. I, p. 136-137, II, p. 225.

3. *Vita Garnerii*, p. 127.

4. Constituerat autem secundum Burgundie ducem, Heinricum nomine, post Hugonem natum, ipsumque decrevit pro fratre in regnum sublimare. Sed rursum mater muliebri animositate agitata, tam a patre quam a ceteris, qui parti illius favebant, dissentit, dicens tertium ad regni moderamen prestantiorem fore filium, qui et Rotberti patris nomine censebatur (Rod. Glaber. *Hist.* III, ix, 34). Cf. *Epist. Willelmi Aquitaniæ ducis ad Fulbertum Carnutensem* (H. F., X, p. 485).

gnat[1]. Rex autem, quamvis et ætate et ægritudine afficeretur, vehementer tamen filiorum bellum repressit, sed paulo post mortem obiit (20 mensis julii 1031), eoque defuncto, velut e necessitate quadam res fluxerunt quas providere licebat. Henricus I igitur postquam acriter pugnatum est, cum timeret ne a fratre juniore e regno rejiceretur, ei Burgundiam attribuit, « pour en jouir en pleine propriété et passer à ses héritiers selon les termes du titre qui est au trésor des chartes », dixit Courtépée [2].

Posthac contendit Robertus Henricum, cum ducatum concederet, nihil egisse novi, sed paternæ voluntati paruisse ; etenim e quibusdam actis etiam vivo patre Burgundiæ dux fuisse videtur [3]. Quidquid id est, jam constitutus est Burgundiæ capetianus ducatus, ducalisque primæ domus Robertus fuit dux primus.

1. Rod. Glaber. *Hist.* III, ix, 35.

2. *Description du Duché de Bourgogne*, t. I, p. 119. Sed charta illa, uam indicat Courtépée, periit quum incensa sunt Archiva curiæ compotorum divionensis (Boudot. *Notice sur les Archives du département de la Côte-d'Or*, 1828, in-8°, Dijon ; Maillard de Chambure. *Mémoire historique et statistique sur les Archives générales du département de la Côte-d'Or et de l'ancienne province de Bourgogne*, in-8°, Dijon, 1838). Supersunt tamen Rodulfi Glabri et Orderici Vitalis testimonia (Henricus. . rex... germanum suum Rotbertum constituit Burgundie ducem. Rod. Glaber, *Hist.* III, ix, 37. — Ipse nimirum est, quem potentissima mater post obitum genitoris toti Galliæ præficere voluit, et Henrico, qui primogenitus erat... præferre omnimodis studuit. Denique justitia Henricum jure in solium regni sublimante, Rodbertus ducatum Burgundiæ tenuit. Ord. Vital, *Hist. eccl.*, XIII, 15, ed. Le Prévost, t. V, p. 33).

3. Robertus superni arbitri cuncta regente ac disponente potentia, post obitum patris mei Roberti Regis Francorum, Burgundie regnum ejus destinatione, Ducis auctoritate adeptus (*Diploma Roberti I, ducis Burgundiæ, pro Sancti Germani abbatia, ad ann.* 1053. Petit, t. I, Preuves, n° 35). Cf. *Ibid.* n°s 9, 17 et *Vita Garnerii*, p. 126 : Hic unum filiorum suorum Henricum nomine, in regnum Franciæ, alium nomine Robertum, in ducatum Burgundiæ sublimavit.

CAPUT II.

De primorum Capetianæ stirpis Ducum rectione.

I. Quali habitu Burgundia fuerit, ineunte regno Roberti I. De anni 1033 fame.

II. De quæstione a Roberto I instructa ut fideles ducalia jura quærerent. De hujus ducis titulis. — Quamdiu regnaverint primi Burgundiæ Capetiani. De eorum matrimoniis. — De Divione, Ducatus Burgundiæ capite.

III. Quam facile ducum potestas tradi solita sit, Roberto I mortuo.

I. Cum Robertus Burgundiæ dux factus est, regionis status miserabilis erat. In conficiendis consilis Robertus Pius pertinaciam incredibilem adhibuerat; nam cum permagno exercitui præesset quem Nortmannorum ducis milites auxerant[1], non solum pugnam manu capessiverat, (et enim, ut exemplo utar, cum Autissiodorum obsideretur, « lorica simul atque galea indutus » processerat)[2], verum

1. Rex Robertus, collecto in unum exercitu valido, tam de gente Francorum quam Normannorum, habens secum Richardum potentissimum ducem ipsorum (*Gesta pontif. autiss. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 388). — Cum magno exercitu pugnatorum, ducens etiam secum Ricardum Rotomagnorum comitem cum triginta milibus Normagnorum (R. GLABER, *Hist.* II, VIII, 15). — Cum exercitu maximo (*Chron. Benigni*, p. 173).

2. Nimio rex arreptus furore...., omnemque exercitum dictis exacuens (ROD. GLABER, *Hist.*, II, VIII, 16). — Cumque primitus ad civitatem Autissioderum devenisset, volens eam capere,... cives ejusdem urbis fortiter ei restiterunt; dehinc, cum ad beati Germani castrum expugnandum

etiam omni ope enitendum esse jusserat, ut obstantes oppidani deditionem facerent. Burgundia tota usque ad Ararim ferro ignique vastata est: quod per aliquot annos rursus factum est, dum singula oppida per famem atque inopiam expugnantur[1]: ex his Avalense castrum, quod tres mensis obsessum in deditionem venit, ubi cives fame exanimati sunt, mœnia prope eversa[2].

Ut quondam Nortmannis advenientibus, monachi, regis exercitui cedentes, solia atque sacra vasa efferebant, Willelmus abbas, cum persuasum haberet iratum regem in monasterium suum impetum facturum esse, cum extra Divionensia mœnia sederet, sacra omnia quæ sancti Benigni erant, in sancti Vincentii ecclesia, intra urbem sita, condidit[3]. Eo bello perfecto, certamen fac-

tota regis falans, idemque rex loricatus intenderet... (*Gesta. pontif. autiss.* loc. cit.).

1. Devastavit permaximam Burgundie partem..., penetravit Ararim usque superiora Burgundie...: revertens quoque rex Franciam, tunc nec quicquam egit preter cladem regionis (*Gesta pontif. autiss. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 388).— Anno MIII, obsedit Robertus, rex, Autissiodorum, et vastavit Burgundiam (Odoranni *Chron. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 396). — Superiores partes Burgundiæ prædis et incendiis devastavit (*Ex gestis abbatum S. Germani autiss.* H. F., X, 296).— Egrediens rex inde processit igne cremando res hominum... usque in superiores Burgundie partes (R. Glaber, *Hist.* II, VIII, 16). — Cum exercitu maximo hanc patriam sepe intrans incendiis et rapinis plurima loca vastaverit... Denique quodam tempore memoratus rex cum plurimo exercitu Divionem castrum advenit, circumpositam regionem devastans ac depopulans (*Chron. Benigni*, p. 173).

2. Obsedit Avallonem castrum tribus fere mensibus, et famis necessitate illud cepit (*Hist. Francorum Senonensis*. SS. IX, p. 369). Cf. *Diploma Roberti Pii*: Actum apud Avalonem Castrum in obsidione (Petit, t. I, Preuves, n° 2). — Et enim Avalense castrum, quia primum firmissimum erat, deinde quia Morwinni montibus situm imminebat provinciæ faucibus, a decimo jam seculo vehementer appetitum est (Flodoardi *Ann.*, *ad ann.* 931, SS. III, p. 379).

3. Cuius iram timens prefatus Abbas Willelmus, omnes monachos ab hoc loco per alia monasteria iussit secedere, aliquantos vero cum libris et omni ornatu ecclesie intra castrum Divion., ac in Ecclesia S. Vincentii,

tum est inter Roberti Pii filios et patrem atque etiam inter filios ipsos ; quo in certamine rursus fuere rapinæ atque cædes, quæ Avalensem pagum ac Tornodorensem Belnensemque præcipue vastaverunt[1]. Denique Richardus, Nortmannorum dux, cum magna militum vi advenit ut Rainaldi generi, Burgundionum comitis, pœnas persequeretur qui, Cabillonensis comitis jussu, in vincula conjectus erat[2]. Quo tempore Nortmanni atque Hungari finem incurrendi fecerant[3] ; sed cum per imbres nimios fructuum calamitas fuisset, exstitit fames illa, quam Rodulfus Glaber descripsit, cujus causa « quidam fecere confugium evadende mortis ad radices silvarum herbasque fluviorum. » Tunc quoque « rabida inedies compulit vorari ab hominibus humanas carnes. Arripiebantur autem viantes a se prevalentibus, menbratimque divide-

quam tunc quieto iure monachi istius loci possidebant, fecit residere, paucis solummodo fratribus, ob custodiam loci et sancti Benigni servitium cum Domno Abbate Odilone in hoc loco dimissis (*Chron. Benigni*, p. 173).— Sancti Vincentii ecclesia refugium erat, quod monachi sibi construxerant, dum irrumpunt Nortmanni (*Ibid.* p. 121).

1. Alter... in Burgundie partibus Avalonem atque Bellemsem. Pro quibus rex gravi turbatus merore, colligiens exercitum ascendit Burgundiam ; bellum plusquam civile patratur... Deinde post obsidionem ac depopulationem utriusque provincie ad pacem redeuntes, paulisper quieverunt (R. Glaber, *Hist.*, III, 9, 34-37). — Cf. Pfister, p. 82-83 ; Petit, t. I, p. 124.

2. *Ex Willelmi Gemetic. monachi hist. normann.* (H. F., X, 189-190).

3. Anno 930... circiter Burgundiam rursus invaserunt Nortmanni et eis strenue obstitit Rudolfus rex : « Eius in diebus Danorum atque Nortmannorum iterum adveniunt phalanges, et non solum Franciam, sed etiam totam percurrunt Burgundiam. Contra quos Rodulfus sumptis armis, ita protervos eorum compescuit incursus, ut usque nunc Gallias ab eorum invasione faciat manere quietas » (*Chron. Benigni*, p. 123). Duobus annis post aggressi sunt Ungari et pagum senonensem vastaverunt, et usque ad Besuensem abbatiam appropinquaverunt, sed per breve tantum tempus permanserunt (*Chron. S. Petri vivi senonensis. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 482 ; *Ann. Sanctæ Columbæ senonensis, ad ann.* 937 ; *Chron. Besuense*, p. 286-287 ; *Ann. Besuenses, ad ann.* 933 ; Flodoardi *Annales*, SS. III, p. 353).

bantur igneque decocti vorabantur. Multi quoque de loco ad locum famem fugiendo pergentes hospiciis recepti, noctuque jugulati, quibus suscepti sunt in cibum fuerunt. » Idem scriptor refert sceleratum quemdam tugurium sibi tria passuum millia a Matiscone in Castanedi silva exstruxisse in quo prætereuntes trucidabat quos deinde ederet[1].

Dum autem bella atque fames Burgundiam vastant, nonnulli tyranni perturbatione omnium freti, potestatem pessimis facinoribus augebant. Cum enim nil esset quare imperium haud satis firmum reformidarent quod a defuncto Carolo Calvo sine ulla intermissione labebatur, in summis regionis locis propugnacula ædificabant e quibus tutissime impetum facerent[2]. Immo, Henrico duce mortuo, castella ejus occupaverunt, e quibus expelli non potuerunt[3]. Cluniacensis abbatia in primis eis

1. Rod. Glab. *Hist.*, IV, iv, 10-12, ann. 1033. — Rodulfi Glabri testimonium, quantulumcumque videbitur, infitiari licet quoties cognoscere contendit quidquid « in orbe terrarum » agatur (*Hist.* II, ix, 17; *Præf.*); quod fieri non potest, quoties de Burgundia aliquid asseverat. Burgundio enim natu simul atque disciplina, in præcipuis Burgundiæ abbatiis monachus vitam egit, in Divionensi, Reomensi, Autissiodorensi Sancto Germano, Besuensi, Cluniacensi : ubi mortuus est postquam per flagitiosam vitam pessimo fuit exemplo. Sive de cladibus agitur aut de peregrinationibus ad Salvatoris tumulum, seu de sanctorum reliquiis, seu de novo architecturæ genere, e Burgundia tantum exempla trahere solet (*Hist*, II, ix, 19, x, 21; III, v, 16; IV, vi, 18; *Vita Guillelmi abbatis*, 15). Unde fit ut ei maxima fides tribuenda sit cum quæritur qualis fuerit ducatus ineunte undecimo seculo.

2. In partibus istis quosdam existere, qui circumquaque res alienas violenter rapientes, ut liberius impuneque retinerent, firmitates et castella nova sibi construxerant (*Vita Garnerii* apud Pérard, p. 127).

3. Preripuere insuper sibimet usurpantes sedes et castra prefati ducis, (*Gesta pontif. autiss. Bibliothèque hist. de l'Yonne*, t. I, p. 387). — Inde processit igne cremando res hominum preter civitates et castra tutissima (R. Glaber, *Hist.* II, viii, 16).

fuit invidiæ, cujus agros haud semel invasere atque vastavere [1], ut universali inopia rapinas brevi finem habituras creditum sit [2] : quæ spes vana fuit.

II.

Robertus Pius, relata victoria, non is erat qui in Burgundiones malevolum adhiberet animum quod sibi restitisssent, aut humiliorem locum libenter acciperet. Strenuitatem autem animi magnam præbuit, seu Burgundiones antea hostes, nunc subjectos, in melius referebat, seu castellanorum injurias et incursiones, quantum poterat, reprimebat. Per annos qui post victoriam præterierunt, sæpius ille in Burgundiam venit et, adjuvante diligentissime Hugone Cabillonensi, ut regionem in pacem reduceret enisus est [3]. Ita unum e præcipuis castris quibus seniores ad prædationem utebantur, Mirebellum cepit atque evertit [4], et Heriaci in Autissiodorensi pago, ma-

1. Ita malorum contra eos (cluniacenses monachos) exardescens insurrexit et convaluit cupiditas et insania ; scilicet terras ipsorum invadendo, et substantias tam ipsorum quam pauperum sibi commissorum depræ-dando..... Sunt autem sæpe nominati loci habitatorum persecutores (*Sequuntur nomina*). Benedicti VIII *Epist. ad Burgundiæ episcopos, ad ann.* 1019, HF. X, 432-434.

2. R. Glaber, *Hist.*, IV, iv, 10.

3. Pfister, op. cit., p. 265-255. — Petit, t. I, p. 100. — De Hugone Cabillonense, vide etiam Lebeuf, *Mémoires concernant l'histoire ecclésiastique et civile d'Auxerre*, t. I, p. 232 sq.

4. Idem itaque Robertus, monarchiam regni solus obtinens... cum copioso, ut regem decebat, exercitu, Miribellum ad expugnandum et diruendum advenit. Erat enim illud una ex mansionibus raptorum ; quod et Deo favente in brevi effecit (*Vita Garnerii*, apud Pérard, p. 127). — Quod in monte alto situm erat, Mirebellum plurimum valuit in Burgundiæ bellis. Ibi, romana ætate, octava legio Augusta castrum posuerat cujus superfuerunt vestigia (Lejay. *Inscriptions de la Côte-d'Or*, nos 218-221.) Haud scio an

gnum conventum ad pacem constituendam suscitavit, in quem venere plerique episcopi et abbates Burgundiæ simul atque permagna vis infimorum hominum. Ibi sanctorum, martyrum, confessorum, virginumque reliquiæ e diversis locis allatæ sunt atque fidelibus utilia quædam præscripta [1]. Denique rex erga omnes Burgundiones assuetam benignitatem adhibuit, et, ut Lutetiæ aut Aureliani, ita Divione, vel Autissiodori et Avalone, trecentos pauperes vel plures numerare queas quibus panem vinumque dare solebat [2].

At Roberti Pii beneficia frustra fuerunt, quod filii ejus rebellionem fecerunt atque inter se dimicaverunt. Vix ex Heriaci conventu egressus erat Landericus, Nivernensis comes, quum Dervenses monachos, a quibus alienatus erat, super Armantionis ripas invadere ausus est atque illis sacra eripere quæ tunc domum referebant [3].

illud castrum urbis ordium fuerit. Cf. J. CARLET. *Mirebeau, ses seigneurs, son château, ses sièges*, 1 vol. Beaune, 1884. (*Bibl. urbis divionensis*, n° 12641.)

1. Sub hujus tempore, Robertus Francorum rex constituit concilium episcoporum (*Chron. S. Mariani autiss.*, H. F., X, 275). — In tempore illo, factus est magnus conventus in Autissiodorensi pago, in Airiaca villa, a Leoterico, archiepiscopo. . Ibi vero præsentes fuerunt Rotbertus, rex, et Goslinus, Bituricensis archiepiscopus, (*Chron. S. Petri vivi senonensis, Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 502). — Rex Robertus cum episcopis et abbatibus adfuit (*Gesta pontif. autis. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I. p, 388). — Hunc conventum constat incipiente anno 1024 habitum esse (PFISTER, op. cit. p. 172).

2. Quis autem ei mos fuerit dandæ eleemosynæ in sui Regni sedibus, non prætermittimus. In Parisius civitate, Sylvanectis, Aurelianis, Divione, Autisiodoro, Avalone, Miliduno, Stampis, in unaquaque harum sede trecentis; vel, quod est verius, mille pauperibus dabatur panis et vini abundantia, et hoc specialius ipso quo ad Deum transiit anno (HELGALDI *Vita Roberti Pii*, H. F., X, p. 109 A).

3. *Miracula S. Bercharii, abbatis dervensis*, 27 (Acta SS. Ord. D. Benedicti sec. II, p. 859).

Dux vero novus tantane auctoritate fruebatur ut res mutare posset?

Duobus documentis Robertus I enarrat ipse quo modo, posteaquam ducatus imperium acceperit, reperire jusserit « consuetudines ejusdem regni quas ante se strenui regnantes exegerint sui prædecessores... et quæ suis lege hereditaria habenda forent et retinenda usibus[1]. » Quæ investigatio, quamvis ab hominibus fidelissimis conficeretur et a duce avide exspectaretur, lamentabilis fuit. Nihil, ut ita dicam, ducis erat: regiones a tyrannis propter perturbationem occupatæ fuerant[2]; jurum vero nullum supererat nisi regalia et quædam hospitii aut custodiæ jura quæ abbatiarum terris oneri erant[3]. Immo illæ male paratæ videbantur tributa solvere quæ duces, sicut advocati, ab eis petebant. Dicebant monachi propter bella facultates magnopere minutas esse, monasterialia ædificia labi, paucos homines in labore versari; itaque paratissimi semper erant causas afferre quibus sese munere solvere possent[4].

1. Ego Rotbertus Burgundiæ Dux, notum esse volo tam presentibus quam futuris, qualiter primum suscipiens ducaminis gubernacula Burgundiæ, cœperim perquirere consuetudines ejusdem regni, quas ante me strenue regnantes exegerunt mei prædecessores. Sed dum per meos quos fidelitores mihi et veriores esse credebam cognovissem quas et in quibus terris accepturus eram... — Notum esse volo sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quam futuris ego Robertus Burgundionum dux..., quod in ipsius mei initio gubernandi Ducaminis, dum more solito investigare cœpissem, quæ meis lege hereditaria habenda forent et retinenda usibus (*Roberti I ducis Diplomata*, ann. 1040 et 1032-1033, apud Petit, t. I, Pr. 28, 18). — Inveniuntur quoque quædam Diplomata Roberti ducis in D. Plancher, t. I, Preuves, vel *Recueil des historiens de France*, t. XI, p. 607 sq.

2. *Gesta pontif. autis.* (*Bibl. hist. de l'Yonne.* t. I, p. 387).

3. Seignobos. *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 158. — Petit. *Histoire des Ducs capétiens*, t. I, p. 152.

4. In plerisque diplomatibus undecimi seculi ineuntis, monachi lugent quod abbatiarum res sint proclinatæ; unde tributi detrectatio. Vide apud

Nihil quidem clarius ostendit quo in statu infimo simul atque instabili primi duces torpescerent, quam quod dubitabat Robertus quale se deceret nomen. Hic sibi « ducem rectoremque inferioris Burgundiæ » nomen dat, illic « Burgundiæ, vel inferioris Burgundiæ ducem », vel etiam « Burgundionum ducem[1] ». Sapientius quidem scripsit olim : « Ego Robertus Roberti filius et regis Henrici filii ejus germanus, Dei miseratione Burgundiæ dux[2] ». Robertus Vetulus quondam appellabatur[3] : nunc nonnullis visum est prudenter eum Robertum sine terra nominare[4].

Qua ratione domus illa adeo infirma initio, per tria secula et quinquaginta annos stare potuit et pæne sine ulla remissione crescere, regionemque vastatam atque discordia debilitatam accepisse et terram satis opulentam florentemque tradere[5] ? Quod e plurimis rebus evenit, sed præcipue,

Petit, t. I, Pr. 10, 13 : Cœnobiolum Colchas (Couches)... quod etiam olim magno honore simul et religione floruerat, ita penitus eversum, ut nullus inibi Monachorum, nullus maneret Canonicorum, preter unum, qui ibidem Missam celebrare erat solitus, presbyterum..., penitus destitutum atque destructum... S. Martinum Belnensem « olim abbatiam, sed jam omnino destructam ». — Anno 1040, Robertus I cum de Gilliaco villa plura jura recuperare vellet, quæ ejus erant « lege consuetudinaria », de jure suo decedere coactus est, « reclamantibus Abbate et monachis... Sancti Germani », quod et indicat his verbis : « Has omnes consuetudines guerpivi, scilicet mei hospitalem susceptionem, et canum meorum hospitalitatem, et pabulum, necnon caballorum meorum custodumque eorum receptum, atque vini captionem ; insuper omnes quas sibi dominatio potentum adquirit consuetudines » (Petit, t. I, Pr. 28). Quod documentum nonnihil momenti habet quia jura ducum Burgundiæ in abbatias enumerat.

1. Petit, t. I, Pr. 27, 28, 30, 36.

2. Petit, t. I, Pr., 17.

3. Hugonis Flavin. *Chron.*, lib. I (SS. VIII, p. 368).

4. Seignobos. *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 150, et n. 1, auctore J. Garnier, custode chartarum Burgundiæ provinciæ.

5. De Burgundiæ statu in medio quatuordecimi seculi, optime disseruit Chérest (*L'Archiprêtre*, p. 101 et sq.).

sine ullo dubio, quod capetianæ stirpis duces perdiu regnaverunt [1], ut, si unicuique æquus tribuitur annorum numerus, quisque, ut ita dicam, triginta regnaverit annos. Immo centum et triginta primi anni quinque tantum duces continent, e quibus Robertus I 44 [2], Hugo II 40 [3], Odo II 20 regnaverunt annos [4]. Odo I in Terra Sancta periit, postquam 23 ducatum administraverat [5]; Hugo I regnavit tantum 3, quod regnum sponte reliquit [6].

Cum idem princeps per satis longum tempus ducatum occuparet, rationem quamdam in republica gerenda firmissimam sequi poterat; immo etiam Burgundiones assuescebant eos duces legitimos principes habere. Quod etiam per connubia illi assecuti sunt. Etenim inter Burgundionum optimates qui a primo ad quinquagesimun undecimi seculi annum exstitere, Dalmatius, Sinemuri Brienensis castri dominus, supereminebat, qui Aremburgem Verziacicastri uxorem habebat et sanctum Hugonem Cluniacensem abbatem genuit; filiam ejus Heliam Robertus I duxit, unde simul duarum præclarissimarum gentium in affinitatem pervenit [7]. Deinde filio suo Henrico Sibyllam,

1. Quod Ordericus Vitalis jam observabat (Rodbertus Ducatum Burgundiæ diu tenuit.— Odo... Ducatum Burgundiæ diu possedit. *Hist. eccl.* XIII, 15).

2. 1032-1076.

3. 1102-1142.

4. 1142-1162.

5. 1079-1102.

6. 1076-1079.

7. In vitis Sancti Hugonis, Cluniacensis abbatis, ab Gilone et Hildeberto, Cenomannico episcopo, Dalmatius dicitur « Dalmatius consularis », et Hugo « nobili genere, patre Dalmatio consulari, viro bellicis rebus intento » (Migne, *Patrol. latin.*, t. CXLIX, col. 860, 909; L'Huillier, *Vie de Saint-Hugues*, p. 576).

Renaldi filiam, Burgundiæ comitis, uxorem elegit[1]. Hugo I vero Sibyllam, Willelmi Nivernensis comitis filiam, duxit; Odo I Mathildam, Willelmi Magni filiam, Burgundiæ comitis, Odoque II Mariam de Campania. Solus ex his Hugo II in connubium amore, ut videtur, adductus, orbatam parentibus quamdam duxit, cui Burgundiæ duces aut proximitate aut commodo nequaquam conjuncti erant, Mathildam de Torinna, Bosonis comitis filiam, qui, cum in Terram sanctam peregrinus advenisset, interierat[2].

Quæ connubia sine ullo dubio Burgundiæ ducibus auctoritatem, at nec terras nec facultates auxerunt. Quod vero a principio ducis Burgundiæ titulo comitatus et urbis Divionensis possessionem adjunxere, magnam potentiam acquisiverunt.

Pagus ille vel comitatus Divionensis, cujus originem a merowingica ætate repetere queas[3], si non e maximis, at certe e præcipuis totius Burgundiæ erat. Qui cum a Septentrione *pago Lingonico* contineretur, ab Austro *Oscarensi pago*, ab Occidente *Magnimontensi pago,* denique ab Oriente *Attoariorum pago*, Oscaræ et Susionis vallem superiorem usque ad confluentem tenebat, permultasque incolarum villas habebat[4], e quibus: Dusmisum, Distum, Tile Castrum, Prunidum,

1. Porro Henricus primogenitus ejus, ipso jubente, uxorem ducit (Ord. Vital. *Hist. eccl.*, XIII, 15). Errat tamen Ordericus Vitalis quum Henricum Roberti I majorem natu filium esse dicit : qui fuit Hugo nomine.

2. Quod ad ordinem quinque primorum ducum adtinet, cf. Petit, t. I, p, 515, qui pleraque certa retulit, quibusdam exceptis quæ suo loco referentur.

3. Pérard. *Recueil de plusieurs pièces curieuses,* p. 12, 15, 18, etc.

4. « Après avoir côtoyé la voie de Châlon depuis Izôme jusqu'à Ruffey, e *pagus divionensis* tirait à Dijon par Saint-Apollinaire, remontait la

Villarum, Lenteniacum, Camboium, Miscíniacum, Saviniacum, Rufiacum, Aquatovillam, Brisconum, Stagnum, Altam Villam, Fischinum, Pulliacum, Tarsu, Icium, Sanctum Apollinarem, Varesum, Spaniacum, Dienatum, Darillam, Granceium, Asnerias, etc... Quorum tamen vicorum nullus tanta amplitudine erat quanta Divionense castrum.

Ubi primum rerum gestarum scriptores sollicitat, Gregorii Turonensis ætate, Divionense castrum egregium habebatur, quod tribus et triginta turribus munitum erat et mœnibus quindecim pedum in latitudinem et in altitudinem triginta, quorum viginti e quadrato saxo structi [1]. Nortmanni quidem sancti Benigni vicum vastare potuerant, qui extra muros sedebat: castrum vero ipsum intactum fuerat ; ita enim illud frustra obsedere ut, eo tempore quo sanctorum reliquiæ per

rivière d'Ouche jusqu'au-dessous de Plombières, la traversait vis-à-vis de Talant, et se dirigeait d'abord sur Brochon en laissant à l'est les villages de la côte qui dépendaient du *pagus Oscarensis*, puis de là sur l'Ouche, au-dessus de La Bussière, par Chambeuf, Ternant, Vergy et Collonges... Arrivé sur cette rivière, le *pagus divionensis* en suivait la rive droite jusqu'au-dessus de Lantenay, où il la traversait. Il traversait encore le Suzon aux environs de Prenois, l'Ignon à Moloy, et gagnait ainsi les sources de l'Ource, qui le séparaient du *pagus lingonicus* » (Garnier. *Chartes inédites des* IXe, X^e^, *et* XIe *siècles*, p. 64 sq.). Cf. Longnon. *Atlas hist.*, Pl. VII-VIII.

1. Est autem castrum firmissimum muris (Greg. Tur. *Hist. eccl.* III, 19, ed. Arndt, p. 129). Cf. apud illum Gregorium (*H. eccl.* II, 32) mœnia accurate descripta, quod confirmaverunt qui hodierna ætate terram effoderunt (Baudot, *Observations sur le passage de M. Millin à Dijon avec des recherches historiques sur les antiquités de cette ville et de ses environs*, in-8°, Dijon, 1808; *Plan du Castrum divionense avec ses 33 tours dans le* VIIIe *siècle*. Lith. Douillier, in-4°, Dijon, 1696). Gregorius Turonensis miratur quod Divio civitatis nomen non acceperit, et enim « castrum » ubique vocatur (Greg. Tur. *H. eccl.*, IV, 16, V, 5; *Vitæ patrum*, VII, 2, 3; *In gloria confessorum*, 41. — Pérard, p. 18, 20, 47. — Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne*, t. I, p. 27, 124, etc.).

Galliam totam transvectæ refugium exquirebant, plurimæ in Divionense castrum illatæ sunt, quod in primis firmissimum et inexpugnabilem locum occupare videbatur[1]. Decimo quidem seculo tam manifestum fuit quanti momenti esset in bello hoc castrum et quantum ab eo penderet Burgundiæ optima pars, ut quidam usurpatores illud in ditionem studuerint redigere, nequicquam, obstantibus carolinis regibus qui Divionis dominium retinere volebant[2].

Roberti Pii adventu, Divionensis comitatus lingonensium episcoporum erat, qui castrum protegendum comitibus quibusdam e Bellimontis gente mandaverant, inter quos Hugo II Bellimontis

1. Venientibus per Franciam in Burgundia Normannis, Monasterium istud Besuense penitus contigit desolatum iri..., quæ (desolatio) non solum huic loco obfuit, verum etiam totam Franciam ipsis Normannis vastantibus, neque uspiam Francis tutam resistendi firmitatem repperientibus multa Sanctorum corpora Divioni castro invecta sunt, *eo quod firmissimum, et inexpugnabile videretur* (*Chron. besuense*, p. 278-279). De altera Nortmannorum incursione dixit Iohannes monachus: Ad Divionem tantum eos aspirare, nec loci firmitas nec Ducis nominatissimi (Richardi Justificatoris) permisit metuenda bellicositas (*Chron. besuense*, p. 280). — Cf. PIGNOT. *Histoire de Cluny*, t. I, p. 27-28.

2. Rodulfus rex Divionum castrum, quem Boso comes ceperat eiusque complices retinebant, obsidet (FLODOARDI *Annales*, 935. SS. III, p. 383). — Castrum Divionem Rotbertus comes invadit regis expulsis fidelibus (FLOD. *Ann.*, 959. SS. III, p. 404). — *Castrum regium* quod Divion dicitur, secus Oscaram torrentem conditum, multa cupiditate sitiebat (Robertus, comes Trecensis). *eo quod per eum si id habere posset, optimam Burgundiæ partem ad suum jus transire posse arbitrabatur...* Pervaso autem oppido, regii milites contumeliose pelluntur. Deputantur vero ibi milites tiranni (RICHER. *Hist.*, III, 11. SS. III, p. 611-612). — Carolinus rex, qui tunc erat Lotharius, non ita facile spoliatus est; etenim, anno 959 exeunte, rursus castrum divionense habebat, ubi curiam tenebat cum Gerberga regina, vice-cancellario et optimatibus (BRUEL. *Recueil des Chartes de Cluny*, t. II, n° 106, p. 160-162; FLOD. *Ann.*, a. 960). Anno 961, solennibus Paschæ cum Lauduni, multis adstantibus Burgundiæ nobilibus, Ottoni ducatum Burgundiæ detulit idem rex, Divionense castrum ut exciperet curavit (LOT. *Les derniers Carolingiens*, p. 33 et n. 2.)

comes, qui simul atque Humbertus de Malleio castrum tueri jussus erat, regis exercitui acriter restitit, anno 1015[1]. Sancti Benigni chronici scriptor refert regem animi pietate recessisse, cum certior factus esset Sancti Benigni monachos præ se fugisse[2]; at potius existimandum est regem nimiis munimentis pepercisse. Quod, utcumque est, ei exemplo fuit; cum enim, Brunone episcopo mortuo, Lambertus ei successit, Robertus I novi episcopi electionem confirmare noluit nisi contra Divionense castrum acciperet[3].

1. Domnus Humbertus de Malleio, et venerabilis uxor eius Anna, huius provinciæ nobiliores, custodiam Divionensis castri, et regimen terræ a Comite Bellimontis Hugone, tenebant... Ipse enim Hugo Comes, dominium terræ ab Episcopo Lingonensi tenebat, quod præfatis viris nobilibus tradiderat, quod in tanta vivacitate tenuerunt, ut cum Rex Robertus et eius coniux Constantia, provinciam hanc sæpius attereret, eius impetum omnino nichili penderent (*Vita Garnerii*, p. 126). Cf. apud Fyot, *Hist. de l'église Saint-Etienne de Dijon*, Pr. 31, vel apud Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne*, t. I, p. 124, diploma quoddam anni 889 in quo Odo rex declarat se, ut Carolum Calvum, Carolum Crassum, ceterosque predecessores, Agrino Lingonensi episcopo confirmare « munitionem Lingonicæ civitatis, ubi habetur ecclesia in honore B. Mammetis eximii martyris, et castrum Divionense, in quo sita est ecclesia in honore S. Stephani. » Quod diploma privilegium anni 814 a Ludovico Pio signatum etiam confirmabat (Quantin, *op. cit.*, t. I, p. 26-28).— Animadvertere potes Divionem in primis in Lingonensi diœcesi contentum esse et ibi episcopos jam domum quamdam habuisse ubi persæpe sedebant (Greg. Tur. *Vitæ Patrum*, VII, 2; Boullemier, *Mémoire sur la possession de la ville de Dijon au spirituel et au temporel par les évêques de Langres. Bibl. urbis divionensis*).— De comitibus divionensibus et præcipue de Bellimontis domo, vide Courtépée, t. II, p. 232, Petit, t. I, p. 92-93, et præsertim Lot, *Les derniers Carolingiens*, App. V, p. 322 sq.

2. Rex vero ut erat mente benignus, cum cognovit propter se monachos dispersos, valde doluit. Paucis itaque transactis diebus, Frantiam repedavit nullo negotio peracto (*Chron. Benigni*, p. 173).

3. Brunone namque Episcopo superstite, in Divionensi potestate rex nihil habebat, quam successor ipsius Lambertus, ut fertur, pro adeptione Episcopatus regi concessit (*Vita Garnerii*, p. 127). — Bruno defunctus est secundo kal. februarii anno MXVI (*Chron. Benigni*, p. 174). Diploma quoddam habemus Roberti regis, quo jam Divionense castrum tenuerat anno prius (Petit, t. I, Pr. 6), sed apocryphum est illud documentum, ut demonstravit Pfister (o. c., p. lxxv).

Robertus I ejusque successores caverunt ne illud consilium revocarent, et, eis regnantibus, Divionense castrum Burgundiæ caput factum est[1]. Hic castellum secundum hujus temporis præcepta ædificatum habuere, meridionali parti antiquorum romanorum mœnium accubans, quæ Sarracenorum murus dicuntur[2]; postea, cum Divionense castrum æstate præsertim insalubre esset, Hugo II jussit villam sibi sub Oscaræ ripas exstrui, mediis in pratis quæ Sancti Benigni monachorum erant[3]. Divionensi quoque in castro id agebatur quod imperii cujusque ducis quasi initium haberi potest. Novus enim dux, dum propinqui, ministri,

1. Hac tempestate, capud ducatus Burgundiæ castrum Divionense reputatur, et capud Divionis Ecclesia beatissimi Protomartyris Stephani fore perhibetur (*Vita Garnerii*, p. 125). Sq. pag. idem auctor ait; « Ex eo tempore castrum Divion. ab Episcopis Lingonensibus ante possessum, in potestatem et principatum ducatus devenit. » Cf. verba quibus utitur Robertus I in fine primi sui diplomatis: Acta sunt hec apud Castrum divionense (Petit, t. I, Pr. 17).— Eo primum tempore Burgundia caput habebat, etenim erravit Petit dum affirmat Autissiodorum caput ducatus fuisse nono seculo et decimo (*Hist. des Ducs Capétiens*, t. II, Introd., p. v et sq.). Ita credidit, quod falso interpretatus est verba « ducatus » et « civitas » in quibusdam documentis adhibita. Cf. H. Stein, *La capitale du duché de Bourgogne aux* IXe *et* X^e^ *siècles. Revue des questions historiques* 1889, t. II, p. 258-264.

2. In Castro Divionensi et in domo mea propria (*Roberti I Diploma*, a. 1054. Petit, t. I, Pr. 36). — Reversus est (Ludovicus VII rex Franciæ) apud Divionem... Et sequenti summo mane venit comes Henricus ad regem in palatio ducis Burgundiæ (Hugonis Vizel. *Hist.* lib. IV. Migne. P. L., t. CXCIV, col. 1634). — De primo ducum palatio, quod, ut videtur, hodierni palatii locum non tenebat, vide Boudot, *Notice sur le palais des rois de Bourgogne et sur celui construit par les Ducs à Dijon* (*Mémoires de la Commission des Antiquités de la Côte-d'Or*, ann. 1832-33). Si Boudot creditur, Hugo III domum ducalem in septentrionalem urbis partem transtulit et pristinam filio natu minori Alexandro tradidit.

3. Notitie tradi volumus, Hugonem nomine, Ducem Burgundie, Divione sibi domum et sub domo ortum, sub orto pratum, juxta pontem Oscare, in terra que prope furnis est, ecclesie beati Benigni edificasse (Petit, t. I, Pr. 195).

optimatesque qui aderant prosequuntur, ad Sancti Benigni abbatiam maximo apparatu progrediebatur, et pro anima prædecessoris Deum precatus, omnia abbatiæ privilegia, coram convocatis canonicis, confirmabat; dein in palatium magnifice ornatum ibat et domum occupabat[1].

Comitum autem divionensium dignitas brevi nulla fuit, ut apparet e charta quadam anni 1034, qua Gibuinus, Hugonis II Bellimontis filius, dona in Sancti Stephani Divionensis ecclesiam contulit

1. Duo documenta superfuerunt præclarissima de his sollemnibus, utrumque ad Hugonis I regni initium (ann. 1076) pertinentia : 1° ORDERICI VITALIS *Hist. eccl.* XIII, 15, ed. Le Prévost, t. V, p. 34 : Porro, adveniente ducis occasu, officiales cunctos atque barones accersiit, et mansionariis aulæ principalis, ut regiam sibi et optimatibus suis festive ornarent imperiose mandavit. Illi vero unde tyroni tantæ jussionis audacia inesset, mirati sunt, et continuo perterriti, jussis obtemperaverunt et splendidum apud Divionem novo duci apparatum acceleraverunt. 2° *Diplomata Hugonis I,* apud D. PLANCHER, t. I, Pr. XLI, XLV : In nomine sancte et individue Trinitatis, ego Hugo cum ipsius favente clementia post decessum Roberti Ducis patris Henrici genitoris nostri culmen Ducatus fuissem adeptus, susceptis omnibus castellis et urbibus ad nostrum jus attinentibus ad castrum tandem Divionense devenimus, quo recepto Deo propitio placuit nos adire limina gloriosi et egregii testis Christi Benigni eo loci corpore quiescentis; ubi cum honorifice et decentissime ab honorabili ejus loci Abbate Adalberone nobilique Monachorum concentu fuissem exceptus... evocati a predicto Abbate in capitulo fratrum una cum fideli et parente nostro Nivernensi Comite Willelmo ejusque filiis et optimatibus universis residentibus nobis..., cum consilio et hortatu prescripti Comitis et omnium nobilium... recitatis cartis, privilegiis et preceptis Augustorum et Regum Francornm... de libertate Claustri... et omnium villarum seu potestatum ad se pertinentium... concessimus eis (monachis) suis privilegiis uti et sua cum omni libertate et quiete potiri et in pace et securitate absque calumnia perfrui. — His præscriptis verbis aut non longe aliis utebantur Burgundiæ duces quotiescumque novum regnum instaurabatur. Quæ ferme invenimus et in Hugonis II charta pro sancti Benigni abbatia, qua narrat quomodo, dum mortuus est pater, se gesserit : « Assumptis etenim quamplurimis nobilissimis viris una cum fratre meo Henrico in Capitulum Divionense veni : et omnes consuetudines et exactiones justas et injustas quas... antecessores mei Duces et homines eorum exigerant, et quas ego et homines mei exigebamus relaxavi » (D. PLANCHER, t. I. Pr. XLVII).

et omni titulo abstinuit [1]. Haud dubium est antiquum divionensem pagum novis rebus magnopere exercitum esse et jam quadam ex parte distractum : castella quædam, ut Dusmense et Granceium, in finibus ejus erant exstructa; nihilominus maximas opes retinebat.

Etsi qui fuerint decimo et undecimo seculo Burgundiæ fines, rectius ostendere non licet, cum documenta careant, tamen Burgundia semper quasi e duabus partibus, montibus inter se distinctis, constitisse videtur : nam altera ex parte si ad Nivernensem comitatum aut Autissiodorensem spectas, ad Oceanum vergit; altera ad internum mare, si ad Cabillonensem aut Matisconensem comitatum spectas. Cujus regionis ita definitæ Divionensis comitatus medium tenebat locum, unde duces montium fauces transire facilius poterant ut expugnatum territorium celerrime occuparent, seu præter Araris ripas usque ad Matisconem, seu præter Oscaram et Icaunam usque ad Autissiodorum iter facerent [2]. Ex quo intelligitur quare Robertus I tanta superbia de illo Divionensi comitatu locutus sit quem jam manu tenebat [3].

1. Petit, t. I, Pr. 21. Cf. Pfister, o. c. p. 263.

2. Quæ de limitibus Burgundiæ adhuc exstiterunt (*Archives départementales de la Côte-d'Or*, B. 257-285), nihil ad ducatum pertinent, nisi quatuordecimo seculo : quapropter hic omittenda sunt.

3. Pro Divionensi comitatu, quod tunc tenebam in mea manu (*Roberti I diploma*, a. 1054. Petit, t. I. Pr. 36).— Decimo seculo, ut opinatur Pfister (p. 250), comitatus Autissiodorensis, Augustodunensis, Nivernensis, ex ducatu Burgundiæ pendebant, ita ut duces eos suo arbitrio rexerint; at unde tanta probaverit parum constat.

III

Patet initio undecimi seculi successionis ordinem ancipitem fuisse ; dubitabatur utrum ad hæreditatem aut ad electionem referretur. Nonne in Francia, ut exemplo utar, Hugone Roberti Pii filio mortuo, dubium fuit utrum ad Henricum qui postea rex fuit, an ad Robertum qui Burgundiæ dux factus est regnum conferretur [1] ? Apud Burgundiones jus firmius, non tamen sine certamine institutum fuisse videtur, et propterea quod auctoritas sine ulla perturbatione et quasi sponte sua post cujusque ducis mortem transmittebatur, tunc ille quasi adulescens ducatus maturitatem quamdam accepit.

Robertus I ab Helia de Sinemuro quatuor filios acceperat: Hugonem, Henricum, Robertum, Simonemque, e quibus Hugo mortem obiit postquam filium nullum habuit.

Henricus etiam ante patrem mortuus est, at quinque filios reliquit : Hugonem, Odonem, Robertum, Renaldum, Henricum [2]. Robertus I nepo-

1. Pfister. *Études sur le règne de Robert le Pieux*, p. 76-77. — Luchaire. *Histoire des Institutions monarchiques de la France sous les premiers Capétiens*, t. I, p. 67.

2. Rodbertus... ducatum Burgundiæ habuit, et tres filios genuit : Henricum, Rodbertum et Simonem. Henricus vero, qui primogenitus erat, Hugonem et Odonem genuit ; sed ante patrem suum obiit (Ord. Vital. *Hist. eccl.*, VII, 1). — Roberti I filium natu maximum, Hugonem nomine, omisit Ordericus Vitalis, sed ejus mentionem faciunt autissiodorensia chronica (H. F., XI, 292). Quod ad ceteros Henrici filios adtinet, quos omisit quoque Angligena historicus, eos infra cernere licet : Robertum Lingonen-

tes rejecit atque decrevit filios adhuc vivos sibi successuros esse ; præterea ducatus nobiles quod constituerat servare jussit[1]. Quam voluntatem plane patefactam neglexit Hugo, qui inter Henrici filios natu maximus erat, et avi patrimonium sibi vindicavit ; optimatum auxilio adjutus, victoriam sine cæde assecutus est patruosque patria expulit. Quoad Robertus I vixerat, artificiosa patientia usus erat, cum eis qui aderant sæpius dictitaret : « Justus Dominus qui patrem meum mundo surripuit prolem ejus hæreditate debita non privabit[2] ».

Ceterum illæ res, quæ Burgundiam aliquot saltem menses perturbaverunt, haud satis apertum est quales fuerint. Quod ad nobiles attinet, natu minimum atque imperitissimum inter illos qui ducatum postulabant, elegisse videntur, quia privilegia sua ita augeri posse censebant : forsitan quoque Hugo Cluniacensis abbas, qui cum novo duce amicitia junctus erat, auctoritatem suam interposuerit. Utcumque res est, successionis ordo non jam in posterum perturbatus est. Immo Burgundiæ ducibus nullo modo opus est Franciæ regum artificio, qui imperio suo filios etiam vivi adsciscere solebant.

Hugo I cum ducatum vivus tradidit, relicto nullo filio, Odo, ejus frater, sine ullo discrimine

sem episcopum, Renaldum Flaviniacensem abbatem, Henricum Portugalliæ comitem. De Simone autem caute dicendum est quod aliunde ignoratur.

1. Filios suos nepotibus suis grandævus præposuit, suumque ducatum illis annuit, et proceribus cunctis ut soboli suæ prorsus adhærerent præcepit (Ord. Vital. *Hist. eccl.*, XIII, 15).

2. Ord. Vital. *Hist. eccl.*, XIII, 15.

ei successit[1] ; et ubi Odo interiit, auctoritas ita placide transmissa est. Qui dux ab uxore Mathilda duos filios acceperat, Hugonem et Henricum, filiamque unam Heliam[2]. Hugo qui jam Burgundiam regebat, cum patrem suum in Terra sancta ubi dimicabat interiisse audivit, tum sancti Benigni abbatiam petivit atque sine ulla dissensione aut difficultate ducatum occupavit sub Hugonis II nomine[3]. Cujus Odo II filius eodem modo se gessit[4]; itaque hæreditarium jus ordine ætatis, dum ubivis magnopere dubium est, in Burgundia quidem institutum est.

1. Completis tribus annis, Odoni fratri suo sponte ducatum dimisit. — Hugo (ducatum) tribus annis tenuit, ac deinde Odonem, fratrem suum, ducem ultro constituit (Ord. Vital. *Hist. eccl.* XIII, 15; VII, 1).

2. Odonis II progeniem non retinuit totam Ordericus Vitalis. Citat tantum « Hugonem... et Helam, quæ prius Bertramno Tolosano comiti Poncium Tripolitanum comitem peperit » (*Hist. eccl.* XIII, 15), omittens Henricum quem vixisse constat e quadam charta cisterciensis abbatiæ (Duchesne. *Histoire des Ducs*. Pr., p. 24).

3. D. Plancher, t. I. Pr. XLII.

4. « MCXLI. Hugo Dux Burgundie obiit : succedit Odo filius ejus, » dixit paucis tantum verbis auctor Chronici Vizeliacensis (H. F. XII, 345).

CAPUT III.

De Ducibus, episcopis et monachis.

I. Qualis fuerit Burgundiæ ecclesia, undecimo seculo; quas opes habuerint monasteria. — De Cluniaco; de Willelmo abbate.

II. De ducum pietate. Quæ eorum pars in crucibus hispanicis vel asiaticis.— De Hugone I, duce et postea Cluniacensi monacho. — Quibus donis monasteria aucta sint.— De Odone I, Cisterciensis monasterii fundatore.

III. Quomodo Robertus I et Odo I jura quædam recipere nisi sint, a monachis rapta. — Quomodo plures e ducali domo principes ad episcopatum lati sint. — Quare et quam improbe quædam Roberto I et Odoni I sint objecta.

I. Primi duces capetianæ stirpis digni sunt qui laudentur, non solum quod necessitudinum utilitatem adhibuerunt, præclarum comitatum tenuerunt, regni sedem aptissimam legerunt, auctoritatem facile tradiderunt, sed etiam quia commercii prudentia usi sunt cum utriusque ordinis æqualibus. Pericula tamen, nec minima, si aliter egissent, eis fuissent subeunda. Primum quod Franciæ regibus consanguinei erant, regiam auctoritatem abnuere potuissent; deinde in rerum egestate, censere potuissent subjectos nobiles et clericos esse debellandos, nec servavissent imperandi vim aut auctoritatem, sed potius ducatum in ruinam traxissent. Longe aliter evenit; itaque ætas qua rexerunt

prope pugnis et bello carere videtur. Nihil tunc invenitur nisi pacatum vivendi genus, si spectas quomodo se gesserint duces, aut cum nobilibus, aut cum regibus, aut præsertim cum ecclesiis, quæ apud Burgundiones tum maxime facultatibus et potentia pollebant.

Ut in reliqua Gallia, in Burgundia Romanorum pristinæ administrationis formæ, se accommodaverat ecclesia, et postquam a diœcesi profecta est, paulatim per totam regionem mox patuit. Jam firma erat, nec deerat quidquam quod prodesse posset ut constaret; et enim in duas partes divisa erat, id est presbyteros et monachos; diœcesibus præerant episcopi Augustodunensis, Lingonensis, Matisconensis, Cabillonensis, et ecclesiastica auctoritas etiam apud eos sanguinis nobilitate augebatur[1]. At abbatiæ præsertim, cum maxime vigerent opibus et frequentia, ea ætate speciem propriam Burgundiæ tribuere videntur.

Incipiente christiana religione, monachi secretam vitam agebant, anachoretarum more : ita Eptadius ille Augustodunensis, Gundobaldi æqualis, qui « se proripuit ad deserta Morvini, ad montanam solitudinem properavit, ibique mul-

1. Cf. *Gallia Christiana*, t. IV et Seignobos, *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 69, 127-128. (Qu'on regarde les biographies des évêques et des abbés des grands couvents, presque tous ceux dont on connaît autre chose qu'une signature apparaissent comme nobles. Parmi les évêques d'Autun et de Langres figurent les plus grands noms du pays : Vergy, Beaugé, Laroche, Auxonne, Grancey, Bar, Rochefort... Sur 33 abbés qui ont passé à Cluny jusqu'en 1360, 23 sont connus pour nobles... L'élection aboutit ainsi, tout comme l'hérédité des laïques, à maintenir les domaines dans les mains des grandes familles). — De episcopatibus Augustodunensi et Matisconensi atque de finibus eorum, vide præsertim De Charmasse, *Cartulaire d'Autun*, t. I. Introd. p. LVIII sq. et Ragut, *Cartulaire de Saint-Vincent de Mâcon*. Introd., p. VI. et sq.

tum temporis latuit[1]; ita Valentinus ille Montis Latiscensis, Theodeberti regis æqualis, qui, etsi in palatio regio egregiam dignitatem obtinuerat, « in quadam spelunca, quam vulgo Furnum calcis vocant, sese abdens delituit »[2]. Attamen sub quintum seculum constitui cœperunt monasteria, primamque regulam a Lerinensi insula acceperunt : quorum antiquissimum Reomense monasterium fuit quod creavit præclarissimus sanctus Johannes[3]. Cujus vestigiis brevi alia institerunt, id est Sanctus Benignus Divionensis, Sanctus Marcellus Cabillonensis, Sanctus Petrus Besuensis, Sanctus Michaelis Tornodorensis, postea Cluniacus.

Inter monasteria Burgundiæ, nullum undecimo seculo tantum floruit quantum Cluniacense præter Graonam in Matisconensi diœcesi situm. In hoc loco, ubi amenitate agrorum frui licebat, villa quædam ædificata est, et quæ villæ cuivis jungi solent, domus, capellæ, campi, vineæ, prata[4]. Eam Willelmus, Aquitaniæ dux, cum possideret et pietatis laudem quæreret, dedit sanctis Petro

1. *Vita Eptadii*, 6 (Acta Sanctorum Bollandiana, mense Aug., t. IV, p. 777).

2. *Vita Valentini*, 1 (Acta SS. Bolland., mense Julio, t. IV, p, 41.) Cf. YAHN, *Geschichte der Burgundionen*, t. I, p. 169, et BINDING, *Das burgundisch-romanische Konigreich*, p. 137.

3. JONAS. *Vita sancti Johannis abbatis Reomensis*, 7; GREG. TUR. *In gloria confeszorum*, 87. Cf. P. ROVERIUS, *Reomaus, seu historia monasterii S. Joannis Reomensis*, 1 vol. in-4°, Paris, 1637. — Tribuebatur Clodovecho regi Romensis monasterii structio e diplomate quodam anni CCCCLXXXII in *Archives départementales de la Côte-d'Or* deposito (quod edidit PÉRARD, *Recueil*, n° 1), sed falsum id constat. Anno 440 aut non multo secus conditum est monasterium (D. PLANCHER, t. I, p. 36; MONTALEMBERT. *Histoire des moines d'Occident*, t. I, p. 260).

4. Quam villam exstitisse jam anno 801 constat ex quodam Caroli Magni diplomate, quo Leduardo Matisconensi episcopo dono dedit ut Sancti Vincentii ecclesiæ quæstus augerentur (RAGUT. *Cartulaire de Saint-Vincent de Mâcon*, p. 42; BRUEL, *Recueil des Chartes de Cluny*, n° 1).

et Paulo apostolis simul atque capellam Sanctæ Mariæ, Dei matris, et sancto Petro dedicatam. « Eo siquidem dono tenore, inquit, ut in Clugniaco in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterium regulare construatur, ibique monachi juxta regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui ipsas res perhennis temporibus possideant, teneant, habeant »[1]. Itaque Cluniacensis abbatia, cum ipsius apostolorum principis spiritu afflaretur et ab ejus vicario, Romæ episcopo, defenderetur[2], cum abbas non jam eligeretur, ut erat institutum, sed revera quasi cooptaretur[3], eo magis floruit apud Burgundiones quo disciplina quæ commendabatur temporibus aptius accommodata erat.

Sancti Benedicti regulam a septimo seculo sequebantur Burgundiæ monachi. Quæ a monachis Luxovii, sancti Columbani discipulis, tradita, Augustodunensi concilio anni 661 vel 670 palam accepta est, postulante sancto Leodegario[4] ; sed brevi in corruptionem cecidit, et monachi jam adeo disciplina carebant ut sanctus Benedictus Anianensis, cum a Ludovico Pio ad res-

1. 11 mensis septembris 910 (Bruel. *Recueil des Chartes de Cluny*, t. I, p. 124.) Cf. Pignot, *Histoire de l'Ordre de Cluny*, t. I, p. 1 sq.

2. In epistola quadam anni 1016 ad Burgundiæ episcopos directa, Benedictus VIII papa Cluniacum ita conditum fuisse memorat « quod ita sit ab omni subjectione cujuslibet personæ, sive Regis, sive Episcopi, sive Comitis liberum, ut aliquid debeat nulli nisi Deo et S. Petro, et Sedis Apostolicæ summo Præsuli » (H. F., X, 432). — « Terra nostra, ut nostis, sine rege et principe existens », scribit Petrus Venerabilis, cluniacensis abbas, ad Innocentem II papam (*Epist.* I, 21).

3. Instante... mortis articulo domnum Odilonem sibi successorem eligit atque proprias oves Domino et sibi reliquit (Jotsaldi *Vita Odilonis*, 4. Migne. P. L., t. CXLII, p. 900). — De potestate Cluniacensium abbatum lege præsertim Cluniaci consuetudines ab Udalrico monacho III, 2 (Migne. P. L., t. CXLIX, p. 733-734).

4. *Chron. besuense*, p. 233-234.

tituendam disciplinam in sancti Benigni Divionensis monasterio missus esset, per biennium et sex menses frustra laboraverit infectaque re discesserit[1]. Per exiguum tempus, Isaac Lingonensi episcopo et Carolo Calvo curantibus, labi desierunt monachorum mores ; at postea rursus magis magisque fluxerunt. Sed cum Cluniacensem disciplinam Burgundiæ abbatiæ secutæ sunt, cum utilem, tum moderatam, severitate nimia expertem, nec ut Columbani aut Benedicti Anianensis disciplinæ instar omnia vitæ gaudia rejicientem, pristinam prosperitatem obtinuerunt. Quod beneficium maxime abbati Willelmo tribuendum est.

Qui enim, anno 990, electione abbas Sancti Benigni factus et ab amico Lingonensi episcopo Brunone consecratus[2], quadraginta annos non solum res divinas, sed etiam humanas prudentissime direxit, et tanta felicitate usus est ut a Brunone jussus sit ejusdem episcopatus omnes abbatias in disciplinam reducere, id est Sanctum Petrum Besuensem, Sanctum Joannem Reomensem, Sanctum Michaelem Tornodorensem, Molesmum, sanctum Vivantem Vergiacum[3]. In omnibus monasteriis Willelmus ille morum integritatem ideoque rerum prosperitatem instauravit[4].

1. *Chron. besuense*, p. 248-249; *Chron. Benigni*, p. 90 sq.; *Vita S. Benedicti abbat. anian.* (MIGNE. P. L., t. CIII, col. 355 sq.).

2. Anno CMXC. ordinatio domini et eximii patris Willelmi, divionensis abbatis cœnobii per manus memorandi Brunonis... in... officio archimandriti atque presbyteri (*Annales Sancti-Benigni*). Cf. *Chron. Benigni*, p. 131, et R. GLABER. *Vita Guillelmi*, 11.

3. *Chron. Benigni*, p. 135-136; *Chron. besuense*, p. 287; R. GLABER. *Vita Guillelmi*, 12-13.

4. Æquales omnes quam probe et prudenter monachorum mores restituerit abbas Willelmus profitentur (Incomparabilis hujus ordinis suo tempore propagator extitit. R. GLABER. *Hist.* III, v, 16. — Unus præcipue refulsit... qui plus omnibus nobis, laboravit, domnus videlicet et abba Willel-

Quapropter Burgundionum Ecclesia in rebus publicis magni fuit momenti, neque immerito. Scilicet controversiis aliquando dividebatur, nec semper concordes monachi[1], et in primis frequentissima exstabant jurgia inter Cluniacenses abbates et episcopos, quod eis in monasteria illius ordinis dominationem renuntiare nollent[2]; in chronicis ea ætate, tamen a clericis scriptis, de malis quibusdam episcopis agitur, ut de Hugone Lingonensi episcopo qui Remensi concilio anni 1049 a papa Leone IX dejectus est, conjudicantibus archiepiscopo Lugdunensi Halinardo et Bisuntinensi Hugone « quod per annos XVIII diœcesis clericum et populum tribulaverit[3] ». Attamen in publi-

mus... *Vita Maioli.* MIGNE. P. L. t. CXLII, col. 954). Quomodo vero cum monachis se gerere solitus sit, breviter narrat Sancti Benigni chronici scriptor : Peccantes ... zelo pii amoris coram omnibus arguebat, ut ceteri timorem haberent. Sed et verba que sub increpatione proferebat, ut reprehendenda reprehenderet, quasi stimuli dura videbantur et aspera, ut pene timerentur plusquam verbera (*Chron. Benigni*, p. 132). — De Willelmo Abbate, vide R. GLABER, *Vita Guillelmi* ; *Chron. Benigni*, atque inter recentiores : PIGNOT. *Histoire de Cluny*, t. I, p. 480 sq. ; E. SACKUR. *Die Cluniacenser*, t. I, p. 241 sq., t. II, p. 36 sq. ; CHEVALIER, *Le vénérable Guillaume, abbé de Saint-Bénigne de Dijon, réformateur de l'ordre bénédictin au XIe siècle*, 1 vol. in-8°, Dijon-Paris, 1875; L. CHOMTON. *Histoire de l'Église Saint-Bénigne de Dijon*, 1 vol. in-4°, Dijon, 1900.

1. Cf. præsertim jurgia inter abbatiam Sancti Sequani et Sanctum Stephanum Divionensem, quæ narrare haud difficile est e documentis a PÉRARD vel FYOT collectis (*Recueil de plusieurs pièces curieuses*, p. 105, sq. ; *Histoire de l'abbaye Saint-Étienne de Dijon*, p. 142 sq).

2. II. F. XIV, 47, 117, 641, 796, inveniuntur epistolæ pontificum romanorum undecimi seculi ad Burgundiæ episcopos directæ ut monasteriorum cluniacensium privilegia tueantur. Immo Calixtus II Berardum, Matisconensem episcopum, prohibet ne episcopali officio fungatur, donec Cluniacensi abbate satisfecerit (H. F. XV, 237). Cf. LORRAIN, *Histoire de Cluny*, p. 49-62 ; RAGUT, *Cartulaire de Saint-Vincent de Mâcon*. Introd., p. XLI, sq.

3. *Chron. Benigni*, p. 179. Cf. *Gesta pontif. autiss.*, 50 : Senonensem archiepiscopum Gelduinum, et Lingonensem Hugonem multarum iniquitatum vitiis infamatos, et a suis multoties reverenter, ut decebat patres, ammonitos et correctos, volutabro sue pravitatis male inherentes, etiam pene apostatatos, de sedium suarum potestate deposuit (*Bibl. hist. de l'Yonne*, I, 362.)

cum commodum concordiam adhibebant plerique, quod diligentissime quid Burgundiæ deberent animadvertebant.

Itaque quotiescumque fames regionem depopulabatur, quæ sæpius invadebat[1], permulti episcopi vel abbates tanta caritate usi sunt quanta ii quos Gregorius Turonensis antea laudaverat. Willelmus abbas ipse, ut exemplo utar, liberaliter ecclesiæ suæ sacra ornamenta vendidit et sancti Benigni pulcherrimum quemdam tumulum quem cryptæ martyris imposuerat, et Odilo Judæis pignori dedit coronam quamdam maximi pretii quam ab Henrico II imperatore acceperat[2]. At in eo maximis laudibus ornanda est Burgundionum ecclesia quod Dei pacem statuit et imposuit. Per Burgundiam, episcoporum beneficio, usque in ultimas Franciæ partes quasi salutari contagione progressa est illa pax Dei[3]. Non Heriaci solum fuit conventus, sed in multis aliis locis, Viroduni, in Cabillonensi comitatu et in nonnullis locis Divionensis vel Belnensis pagi[4]. Cente-

1. R. GLABER. *Hist.* II, IX; IV, IV. — Cf. *Annales Nivernenses*, ad annum 1117 : Hoc anno octavo Idus Mai, feria 4, fuit magna coctio vinearum, sigalorum, messium, frugum aliorumque bonorum in Frantia, in Burgundia, in Alvernia et in aliis terris (SS. XIII, p. 91).

2. *Chron. Benigni*, p. 147; ODILONIS *Vita*, auct. Jotsaldo monacho, I, 9 (MIGNE. P. L. t. CXLII, col. 904). — Diligentissime ad conficiendum Sancti-Benigni tumulum incubuerat Willelmus, cujus latera ornata erant Domini nativitate et Passione ficta (L. CHOMTON. *Histoire de l'église Saint-Bénigne*, p. 117 sq. et Fig. XIV, XVI).

3. Per Arelatensem provintiam, ac Lugdunensem, sicque per universam Burgundiam usque in ultimas Francie partes per universos episcopatus indictum est, qualiter certis in locis a presulibus magnatisque totius patrie de reformanda pace et sacre fidei institutione celebrarentur concilia (R. GLABER. *Hist.* IV, V, 14).

4. In primis, Hugo Cabillonensis, Autissiodorensis episcopus, conventus illos provocavit (*Gesta pontif. autis. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 588. Cf. PFISTER, p. 170-173 et SACKUR, *Die Cluniacenser*, t. II, p. 165-169). — PETIT

simo post anno, crucesignatorum impetum in utilitatem omnium vertentes, episcopos nonnullos constat Dei pacem omni ope retinere studuisse. Etenim Augustoduni, anno 1113, postulante Stephano episcopo, Hugo II dux et Willelmus Nivernensis comes ad concordiam venerunt[1], et anno 1116 in loco inter Lucum et Tilecastrum sito, præside Guidone de Burgundia, Viennensi archiepiscopo, factus est conventus sub divo, multorum sanctorum coram reliquiis, velut antea Heriaci; sedebant Jocerannus Lingonensis episcopus, abbates et parochiarum presbyteri; stabat in campo nobilium et populi multitudo et spectabat[2].

II.

Duces ne tam pollenti ecclesiæ obviam irent caverunt; quod non arduum fuit, quoniam omnes magnæ fuerunt pietatis. Etenim cum christianæ religioni multum ut omnes æquales faverent, plerique vel pugnando, vel crucem assumendo, ma-

transtulit pacis fœdus quoddam inter Burgundiæ episcopos et nobiles (*Hist. des ducs capétiens*, t. I, p. 129-130).

1. *Gallia christiana*, t. IV, p. 78. — D. Plancher, t. I. Pr. XLIX.

2. Vide : *Les Grands plaids de Dieu entre Lux et Tilchâtel au* XIIe *siècle* (Mémoires de l'Académie de Dijon, 1819). — Præclarissime Seignobos narravit quomodo ecclesia Dei pacem parare nisa sit, non semper id consecuta. « Ces essais ont frappé les contemporains, mais ils restèrent vains .... Ils montrent la bonne volonté du clergé, mais prouvent qu'il n'était pas assez fort pour se faire obéir sans l'appui des seigneurs laïques. A la longue, son zèle se refroidit; il renonça à employer contre les violateurs de la paix la force des seigneurs et même le glaive spirituel, et se résigna à l'état de guerre, se bornant à intervenir quand les contrats placés sous sa garde avaient été violés » (*Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 79).

gnas res gesserunt. Ita in Hispania aut in Portugallia, in minore Asia vel in Syria eos invenias, seu peregrinantur ad Sanctum Jacobum Compostellanum vel Hierosolymam, seu in Terram Sanctam crucem gerunt. Robertus I humeris sustulit cum maxima reverentia per Senonenses vias sancti Saviniani corpus[1] et in animo habuit Romam adire[2]. Odo I bis crucem gerit, primum in Hispania, dum Tudelam obsidet et ab Alfonso VI, Castillæ rege, maximis dignitatibus ornatus est[3],

1. *De Translatione sancti Saviniani* (*Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 372). Cf. QUANTIN, *Cartulaire général de l'Yonne*, t. I, p. 187, 213-214.

2. Chartam habemus de Roberto I, in qua dicitur : « Suorum reminiscens pravorum operum... disposuit in animo suo adire Apostolorum limina, quatenus illorum interventione precum adjutus, solvant suarum cathenas culparum » (*Ex chartul. S. Stephani divionensis*, a. 1060, apud PÉRARD, p. 72). — Non constat quare quidam affirmaverint Robertum hoc iter fecisse atque a summo pontifice « salutaria consilia » accepisse (*L'Art de vérifier les dates*, t. II, p. 497).

3. Anno 1087 in Hispaniam iter fecit Odo I ab Alfonso Hispaniarum rege provocatus (Ildefonsus mandavit per omnes partes Franciæ ut sibi et suis juvarent : qua de causa multi perrexerunt in Hispaniam, et adunati sunt ad Tudelam civitatem, et castellum Stellæ ceperunt. *Ex Chron. S. Maxentii*, HF. XII, 402). Cf. *Chron. S. Petri vivi senonensis* (HF. XII, 279). — Trenorciensis monasterii diploma quoddam ita nos certiores facit quæ pars fuerit Burgundiæ ducis : « Revolventibus vero quibusdam annis, cum illo magno exercitu, in quo pene totius Nobiles regni Franciæ, ... venit et supradictus Dux. Quid fecerunt, et quantum laboraverunt in obsidione Tutelæ satis notum est. Cum autem unusquisque prout potuit remeavit ad propria, ipse Dux adiit curiam Imperatoris Alfonsi » (*Diploma anni* 1087, 5 Aug., apud CHIFFLET, *Histoire de Tournus*. Preuves, p. 331). Chronici Trenorciensis quoque scriptor narrat quomodo trenorcienses monachi duo in hoc bello versati sint, jubente Petro abbate, « qui cum ad locum ubi Rex cum Regina morabatur venissent, contigit etiam Odonem Ducem Burgundiæ simul adesse » (*Chronicon Trenorciense*, 49, apud CHIFFLET, p. 31). Tutela igitur inter urbes numeranda est quas occupavit Alfonsus, postquam Toledam expugnavit (1085, 25 mensis maii) ; attamen notandum est quomodo Hispaniæ Chronica vel Annales Tudelam omittant atque partes magnas quas tenuerunt Franciæ Burgundiæque equites. Cf. RODERICI TOLETANI *de Rebus Hispaniæ*, VI, 23, apud SCHOTT, *Hispaniæ illustratæ*, t. II, p. 105; *Annales Complutenses, compostellan.*, etc., apud FLOREZ, *Espana Sagrada*, t. XXIII, p. 311 et sq.

deinde dum in Terram Sanctam peregrinatur et ibi mortem obit[1].

Postremo Hugo II, heres ejus, in Galliciam iter fecit cum Petro abbate Divionensi[2]. Sub Odone II, secunda transmarina expeditio a Sancto Bernardo Vizeliaci in Burgundia prædicatur, et quia morbo confectus iter longum conficere nequit, Burgundiæ dux inter audientes non invenitur[3]. At

1. Hugo Dux Burgundiæ filius Odonis Ducis in Hierosolymitano exercitu mortui (*Hugonis II Diploma* apud DUCHESNE, *Hist. des Ducs*, Preuves, p. 34). — Duo diplomata exstiterunt Odonis I quibus in Terram Sanctum se progressurum esse et magno agmini crucesignatorum anni 1101 se juncturum dixit (Notum sit omnibus ecclesie sancte fidelibus, quod Odo Burgundie Dux hierosolymitanum iter cum Hugone, fratri regis, et Stephano comite, ceterisque Cristicolis prima profectione agressurus... PETIT, t. I, Preuves, 102; PÉRARD, *Recueil*, p. 202). Quapropter plerique eum, cum Ramam obsideret, interfectum esse censent vel Tarsi postquam vulneratus esset (*Art de vérifier les dates*, t. XII, p. 193-194; PETIT, t. I, p. 267-268). At nec Willelmus Tyrensis nec Albertus Aquensis, nec transmarinorum bellorum ceteri scriptores quibus fidere solemus talia contenderunt. In hac cruce præfuerunt et occisi sunt, ut aliunde constat « vir illustris et magnificus Pictavensium comes Willelmus, idemque Aquitaniæ dux; dominus quoque Hugo Magnus, Philippi regis Francorum frater, Comes Viromandensium..., dominus quoque Stephanus, Burgundiæ comes » (WILLERMI TYRENSIS *archiepiscopi Hist.* X, 12, apud *Recueil des historiens des Croisades*, pars prima tomi I, p. 416. *Ibid.* X, 13-20; FULCHERII CARNOTENSIS *Hist. hierosolymitana*, II, 16, 18; ALBERTI AQUENSIS *Hist.* VIII, 41, 43. IX, 1, 5-6; ORDERICI VITALIS *Hist. eccl.* X, 19-21). Errant illi scriptores cum Stephanum « Burgundiæ ducem » vocant, qui nec comes nec dux fuit. Nunc igitur veterum scriptorum traditis insistendum est rursus qui dixerunt Odonem iter fecisse « plutôt en pénitent qu'en guerrier » ut sanctum Sepulcrum videret, et in itinere mortem obiisse, gravi morbo confectum (DUCHESNE. *Histoire des Ducs*, p. 25 et *Histoire de Vergy*, p. 77; D. PLANCHER, t. I, p. 289; COURTÉPÉE, t. I, p. 123).

2. Illo siquidem in tempore, quo ad sanctum Jacobum peregre volui proficisci, Abbatem tunc temporis S. Benigni, nomine Petrum, sciens eum virum justum et sanctum, nec dubitans quod sanctitas illius ac justitia multum mihi de jam dicto itinere conferre posset, ut socius mei viatici esse dignaretur, eum multo supplicamine exoravi. Quod vix tandem ab ipso, sed non sine magnis precibus impetravi (PÉRARD, p. 222).

3. Vide indicem præcipuorum nobilium qui Vizeliacensi conventui adfuerunt in quodam *Fragmento Vitæ Ludovici VII a Sugerio abbate præparato*, 10 (ed. Molinier). Attamen de Odone II Courtépée dixit : « Il alla en

Hugo III filius longinquis in terris, ut proavus, Tyri mortuus est[1].

Immo inter omnes e Capetiana stirpe duces, unus ita pietate eminuit ut pæne sanctus revera videretur. Roberti I nepos et heres, Hugo I fuit quidem comitate, pietate, justitia insignis, ingenti probitate pollens, « irreligiosis autem et exlegibus terribilis ut fulgur »[2]. Prætendebat titulum : « Ego Hugo ad Ducatum Burgundiæ regendum domino vivante constitutus »[3]. In magno Augusto dunensi concilio anni 1076 maximas partes tenuit[4],

1144, avec 15000 hommes, au secours d'Alphonse, roi de Portugal, son cousin ; il battit les Sarrasins, et emporta sur eux Lisbonne, après un siège opiniâtre » *(Descr. du duché de Bourgogne,* t. I, p. 126-127.) De hoc itinere nihil invenimus in documentis. neque apud DUCHESNE, neque apud PLANCHER ; videtur enim Courtépée in duplicem errorem cecidisse (*Art. de vérifier les dates,* t. II, p. 501).

1. PETIT. *Histoire des Ducs capétiens,* t. III, p. 37, 70 et sq.

2. ORD. VITAL. *Hist. eccl.* XIII, 15; VII, 1. — Anno ab incarnatione Domini 1076... Dux Hugo justi tenax Burgundiæ præerat (HUGONIS FLAVIN. *Hist.* SS. VIII, p. 415). — Ubi sunt qui pro justitia et veritate non timeant mortem subire (GREGORII VII *Epist.,* ad Hugonem Cluniacensem. HF. XIV, 628). — Piissimum Burgundionum ducem Hugonem (*Aganonis augustodunensis episcopi charta* apud DE CHARMASSE, *Cartulaire d'Autun,* t. I, 1re partie, Pr. 40).

3. PETIT, t. I. Pr. 50.

4. Quod in concilium « convenerunt ex Francia et Burgundia multi illustres viri, episcopi et clerici, abbates et monachi quamplures... juxta mandata apostolica... assensu et laude Hugonis ducis... Pontifex Lingonensis et dux quorum erat istud prospicere intererant. » Jarento, antea prior Casæ Dei, Sancti Benigni abbas haud facile factus est; itaque Lingonensis episcopus, qui illi favebat, « Hugonem ducem sibi sociavit in precibus, ut ejus mereretur bonitas quod se per se posse diffidebat » (HUGONIS FLAVIN. *Chron.* SS. VIII, p. 415-416). — Concilium Augustodunense tumultum quemdam concitaverat per totam regionem; immo ubi nuntiatum est ducem Burgundiæ venturum esse, nonnulli, ut Raynaldus de Monte sancti Iohannis, ecclesiæ Augustoduni sponte quædam injuste subrepta restituerunt. Constabat « multos obtimates sed et fere tocius regionis principes apud Augustidunum interesse... piissimumque Burgundionum ducem scilicet Hugonem catervatim adfuturum » (DE CHARMASSE. *Cartulaire d'Autun,* t. I. Pars I, Pr. 27, 40). Hugo enim venit simul atque frater Odo qui ei postea successit.

et adversus Sarracenos in Hispaniam exercitum duxit, et urbem magnam expugnavit, et infideles acerbe exercuit[1]. In Burgundiam dum redit, aliquot post menses, imperium reliquit, completis vix tribus annis, et in Cluniacensi monasterio secessu fruitus est, prope avunculum Hugonem abbatem qui apud eum maxima erat auctoritate[2]. Ibi defunctus est postquam quindecim annos vitam cœnobii consumpsit, cæcus et tanta humilitate præditus ut fratrum calceos ipse ungeret[3].

Nec solum duces, sed filii etiam et filiæ omni ope pro nominis christiani honore pugnaverunt.

Robertus, Roberti I filius, Burgundia exsul, in Italiam australem transiit accessitque cum Rogerius Vetulus, Tancredi de Alta-Villa filius, vix mortuus esset et regnum tradidisset Rogerio II puero, quem mater Adela in tutela retinebat. Quæ autem, ubi illum Burgundionem utilem fore ani-

1. Secundam expeditionem in Hispanos Dux Burgundionum Hugo, pluresque alii Principum Galliæ paraverunt... Quo duce Hispaniam ingressis, captaque una nobilium ejusdem Hispaniæ urbium, et devastata ex parte ipsa regione, plurima onusti præda domum remeant, quamplurimis captivis abductis (*Ex historiæ francicæ fragmento*. HF. XII, 1).

2. Ord. Vital. *Hist. eccl.* XIII, 15. — Simul atque Hugo, et Matisconensis comes et plures Burgundiæ optimates monachi facti sunt (*Ex Chron. Alberici Trium Fontium*. HF. XIII, 684).

3. Quod narravit testis quidam qui viderat ipse (Vidimus et Hugonem Ducem prius Burgundiæ, et post militiæ spiritualis signiferum, qui solebat calceos ungere fratrum, seque ita despicere et humiliare, ut omnes viles personæ stuperent, cum sub se viderent principem talem se sternere. Hic post certamen quod gessit, sustinendo etiam corporalem cæcitatem, tandem obtinuit æternam quam meruit lucem, et suaveolentia nobis exempla reliquit. *Ex Anonymi Collect. de S. Hugone*, HF. XIV, 73). Hugo I Cluniaci sepultus est, et seculo postremo etiam tale legebatur epitaphium :

Hic requiescit vir celebrandæ memoriæ, magnusque seculi contemptor, Hugo olim dux Burgundiæ, postea Sacerdos et Monachus huius, Sanctæ Ecclesiæ Cluniacensis. Anima eius requiescat in pace. Amen.

(Duchesne. *Hist. des Ducs*. Pr., p. 22).

madvertit, sororis filiam in connubium ei dedit et Siciliam regendam tradidit ; deinde decem annis post, cum filium adeo viribus pollere censuit ut ipse gubernaret, propugnatori venenum præbuit[1]. Nihilominus Robertus jam magno fuerat adjumento ad regnum Siciliæ augendum et e schismaticorum Græcorum vel infidelium Sarracenorum manibus eripiendum. Soror autem Constantia, Cabillonensis comitissa, pietate ita insignis visa est ut, postquam viro orbata est, oratum ad trenorciensem abbatiam ausa sit ire pedibus et modesto cum vestimento. Cujus monasterii abbas Petrus eam Alfonso, Hispaniarum regi, connubio junxit[2]; itaque in maritum auctoritate freta, Galliciæ et Hispaniarum nova regina trans montes, si non prudenter, at certe studiose papam auxilio adjuvit. Per eam Toledæ archiepiscopatum instauravit Alfonsus[3], et Theresam filiam in matrimonium dedit Henrico, Roberti I Burgundiæ ducis nepote : ille vero, postquam præclarissima adversus Arabas gessit, Portugalliæ regnum instituit[4]. Etiam nunc

1. Orderic Vital. *Hist. eccl.*, VIII, 15. ed. Le Prévost, t. V, p. 32-35.

2. Ut enim Hispaniæ Rex Adefonsus Constantiæ reginæ conjugio potiretur, ipse (Petrus abbas Trenorciensis) prudenter elaboravit. Fuerat enim Hugonis Cabilonensis comitis uxor, filia Rotberti Ducis (*Chron. Trenorciense*, 49, apud Chifflet, *Hist de Tournus*, p. 30). — Rex Audefonsus filiam Rotberti Ducis Burgundionum duxit in uxorem, nomine Constantiam (*Ex hist. francicæ fragmento.* HF. XII, 2). — Comitissa Cabillonensis, filia Rotberti Ducis, post obitum mariti sui Hugonis Comitis... Regina Galliciæ et Hispaniarum effecta est (*Odonis I Diploma* ann. 1087, apud Chifflet, Preuvés, p. 331). — De Petro Abbate, vide Juenin, *Nouvelle Histoire de Tournus*, p. 98 et sq.

3. Roderici toletani *de Rebus Hispaniæ*, VI, 25, apud Schott, *Hispaniæ illustratæ*, t. II, p. 106. — Hæc est enim Constantia quæ, absente marito, christianas cœrimonias in magnam Toledæ ecclesiam a Sarracenis possessam abrupte intulit contra pactiones factas et seditionem quamdam incitavit populi.

4. Audefonsus filiam in matrimonium dedit Raimundo Comiti, qui Comi-

referunt quomodo Florina, Odonis filia, in Terram Sanctam transgressa sit ante ipsum patrem et trucidata cum hostes debellaret in mulo sedens : sed incertum an verum sit[1].

Præterea nostri Duces non solum orationibus vel sanctis peregrinationibus religioni faverunt, sed potius beneficiis quibus abbatias prosecuti sunt; quæ eo magis pietatem denuntiant quo minores fuerunt opes. Ita Robertus I Cluniacum oratum venit et, cum veneratione a fratribus receptus, abbatiæ bona firmat[2]. Ex quadringentis chartis quæ superfuerunt, pleræque donationes quasdam sanciunt, in quibus Hugonis I nomen præsertim notavimus. Diplomata tria quibus, regno vix ineunte, subscripsit primum, abbatiæ Sancti Benigni et Sancti Stephani Divionensis probant pri-

tatum trans Ararim tenebat. Alteram filiam, sed non ex conjugali thoro natam, Ainrico uni filiorum filii ejusdem ducis Rotberti dedit. Hosque ambos in ipsis finibus Hispaniæ contra Agarenorum collocavit impetum (*Ex hist. francicæ fragm.* H. F. XII, 2). Cf. Roderici toletani *de Rebus Hispaniæ*, VII, 5 : De ortu et genealogia Regum Portugalliæ (Schott, *Hispaniæ illustratæ*, t. II, p. 114). — De Henrico Burgundione, lege Petit, *Croisades bourguignonnes contre les Sarrasins d'Espagne* (Revue historique, t. XXX, p. 268-271), et Gaffarel, *Henri de Bourgogne et les Croisades en Espagne.* (Revue bourguignonne de géographie et d'histoire, t. XVII, 1901, 30 pag.).

1. Ibidem matrona quædam, Florina nomine, filia ducis Burgundiæ, Philippensium principi copulata, nunc vero miserabiliter viduata, in eodem comitatu Danorum erat, sperans post triumphum Fidelium tanto tamque nobili sociari marito. Sed hanc spem Turcorum abrupit ferocitas. Nam eandem, in mulo sedentem, sex confixerunt sagittis, versus montana fugientem : quæ, licet percussa, non tamen a mulo lapsa est, semper evadere mortem credens, cum filio regis capitali sententia exstincta est (Alberti Aquensis *Hist.*, III, 94, ann. 1097, apud *Recueil des Historiens des Croisades*; *historiens occidentaux*, t. IV, p. 377). — Quæ traditio, a quibusdam accepta (*Art de vérifier les dates*, t. II, p. 500; Petit, t. I, p. 265-266), in suspicione tamen ponenda est, et falsa a Sybel et Riant dicitur (*Recueil des hist. des Croisades*, t. IV, p. 376, n. 1). Etenim Albertus Aquensis Odonem I omittit ; Ordericus Vitalis vero non plus quam unam hujus ducis esse filiam novit, quæ est Helia, Bertramni Tolosani comitis uxor (Vide supra, p. 43, n. 2).

2. Bruel. *Recueil des Chartes de Cluny*, t. IV, p. 149, n° 2949.

vilegia, et tributis quibusdam Sanctum Petrum Besuensem levant[1]. Ut abbatis Cluniacensis, avunculi sui, consiliis pareret, sanctimoniales monachosque seposuit qui antea vitam agebant una, et feminis monasterium creavit Elariacum prope Divionensem urbem sub Sancti Benigni ditione, deinde Rubei montis cœnobium e monasterio Reomao pendens[2]. Odo I et Hugo II Molesmensem abbatiam favore maximo amplectuntur; ibi Hugo cum maxima reverentia accipitur; progredientem adeunt monachi, sacerdotali veste ornati, continuato ordine obviam ei procedunt ut honores dent et ad ecclesiam ducant[3].

Ceterum nec Cluniacenses, nec Molesmenses, sed potius Cistercienses maxima beneficia a ducibus acceperunt. Cluniacensis disciplina brevi tempore resolvi cœpta est, jam regente Sancto Hugone, quinto abbate. Tunc romanus legatus Petrus Damianus cum abbatiam viseret non tacite indignatus est : « Nobiscum labora, inquit abbas, vitam nostram vive per octo dies; postea dijudicabis ». Nec plura dixit ille Petrus, et male quidem[4]. Etenim jam adeo perturbatum erat monasterium ut ordines novos creare oporteret, inter quos præcipue præstat ille qui fundatus fuit anno 1098 a Roberto Molesmensi, adjuvantibus

1. D. PLANCHER, t. I, Pr. XLI; PÉRARD. *Recueil*, p. 83; *Chron. besuense*, p. 377-378. — Anno sequenti, idem dux Cluniacensibus monachis dono dedit « ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ sita est in castro Avalonensi, » cum omni ornamento ipsius ecclesiæ, cujus descriptionem notandam facit (QUANTIN. *Cartulaire général de l'Yonne*, t. I, p. 193).

2. PETIT, t. I, p. 197-198.

3. Vide *Archives départementales de la Côte-d'Or*, n° 142-143, *Cartulaires de l'abbaye de Molesmes*, I et II, et præsertim *Cartulaire* II, folio 36-37.

4. PIGNOT. *Histoire de Cluny*, t. II, p. 62.

Alberico et Stephano Harding. Illi, dum secessum quærunt quem probent, haud longe a Divionensi urbe sistunt, in heremum qui Cistercium dicebatur, intra Cabillonensem diœcesim situm, tam horridum quam qui maxime; etenim « pro nemoris spinarumque tunc temporis opacitate accessui hominum insolitus, a solis feris inhabitatur[1]. » Odo I, Burgundiæ dux, consentiente vicecomite Belnensi qui eas solitudines in dominio habebat, monachis dono dedit ut monasterium ligneum stuerent; simul victum, armenta et ad vivendum res necessarias largitus est[2]; denique, mense Martis anno 1009, postquam ecclesiæ dedicationi adfuit simul atque filii Hugo et Henricus, donationes suas confirmavit[3]. Nec ullius gratia septem et triginta annis postea cœnobia possederunt Cistercienses multis in regionibus[4], nisi Odonis I, magna quidem ex parte; sed jam in Burgundia non Cistercium solum, at tria monasteria tenebant : Firmitatem (1113), Pontiniacum (1114), Fontanetum (1118), quorum hoc quidem a ducibus maxima accepit beneficia[5].

1. *Super Exordium cisterciensis cœnobii*, ed. GUIGNARD, p. 63.

2. Tunc domnus Oddo dux Burgundiæ sancto fervore eorum dilectatus... (*Super exordium cisterciensis cœnobii*, p. 63). — Odo, filius Henrici, Burgundiæ dux, illis compassus est, et prædium in loco qui Cistertius dicitur, in episcopatu Cabilonensi largitus est (ORD. VITAL. *Hist. eccl.* VIII, 26). Cf. MANRIQUE, *Annales cistercienses*, t. I, p. 7-8.

3. Postea cum dedicaretur Ecclesia novi Monasterii, Dux ipse et Rainardus (vicecomes Belnensis) iterum donum fecerunt in conspectu multæ plebis quæ aderat... Ipse vero Dux tam in nemore præfato Cœnobio conjuncto, quam in omni circumquaque dominicatura sua usuarium plenissimum eisdem fratribus attribuit... Huic commutationi supra scriptæ et dono interfuit Hugo filius Ducis, qui et idem concessit. Sed et frater ejus Henricus hoc idem postea concessit (DUCHESNE. *Histoire des Ducs*, Preuves, p. 24).

4. ORD. VITAL. *Hist. eccl.* VIII, 26.

5. D. PLANCHER, t. I, p. 304-305. — *Voyage de Deux Bénédictins*, Partie I,

Hugo II patriis vestigiis institit, adjuvante fideliter uxore, Mathilda de Torinna, quæ cum Sancto Bernardo epistularum commercium habebat[1]. Odone II duce, crebriora etiam facta sunt beneficia, et jam adeo duces Cisterciensi monasterio amore conjuncti sunt, ut id ne mortui quidem relinquerent.

Cistercienses omnibus sepulturam abnuebant nisi mercenariis, hospitibus et peregrinis in monasterio infirmitate detentis, atque in majoribus ecclesiis sanctæ Virgini consecratis nemo sepeliri poterat præter reges et reginas et episcopos, certusque erat anniversariorum dierum numerus[2]. Odo I tamen, ut optaverat, sepultus est in monachorum cœmeterio crucibus ligneis circumdato, sepultique sunt Hugo II et Odo II[3].

Locus tamen quem habebant tantis viris parum dignus videbatur; itaque postea neglecta est regula. Duces cum abbatiæ benefecissent regumque locum tenerent, quasi reges habiti sunt, reliquiæ a pristino cœmeterio exhumatæ in capellam pronaonis translatæ, quæ posthac « fundatorum capella » dicta est, et in eodem sepulcro depositæ cujus lineamenta epitaphiumque adhuc superfuerunt[4]. Quo in loco et successores inhumati sunt

p. 250. — CORBOLIN. *Monographie de l'abbaye de Fontenay*. 1 vol. Citeaux, 1882.

1. SANCTI BERNARDI *Opera* (ed. Mabillon, t. I. *Epist.* 161).

2. *Instituta capituli generalis ordinis cisterciensis*. Distinctio X, cap. 24-25 (*Nomasticon cisterciense*, p. 344). Cf. D'ARBOIS DE JUBAINVILLE. *Études sur l'état intérieur des abbayes cisterciennes*, p. 41-42.

3. D. PLANCHER, t. I, p. 280, 342.

4. *Voyage de Deux Bénédictins*, pars I, p. 198. — Hic tumulus, exeunte octavo decimo seculo, eversus est simul atque cetera monumenta in Cis-

ut, superiori seculo, Cisterciensis ecclesia « ducum Burgundiæ primæ gentis mausoleum » vocaretur et constaret « omnes duces regio sanguine ortos Hugonis Capiti ibi repositos esse, præter Robertum Hugonemque qui, abbatia non jam fundata, defuncti erant »[1].

III

Attamen primorum ducum benevolentia erga ecclesias monasteriaque abdicatio non semper est facta, nec sine aliquo mœrore bona ac jura abalienata esse intellexerunt. Quod contra Robertus I quæ sua censebat esse vi et armis recipere voluit. Eo duce, sæpe debellatum est in terras et homines Sancti Benigni[2], vel ceteras ecclesias aut abbatias Lingonensis diœcesis[3], vel Aganonem Eduorum episcopum[4], vel illum Heribertum, Au-

terciensi ecclesia posita. Qualis fuerit specie satis constat (D. PLANCHER, t. I, p. 281). Cf. apud DUCHESNE, *Hist. des Ducs*, p. 36, illud epitaphium :

Hic jacent tres illustrissimi Burgundiæ Duces,
Odo fundator huius Monasterii, qui obiit anno MCII,
Hugo filius eius, qui obiit anno MCXLII,
Odo filius dicti Hugonis, qui obiit anno MCLXII.
Animæ eorum requiescant in pace, Amen.

1. *Traité des Antiquitez de l'abbaye de Citeaux* (Bibl. nationale. Coll. Bourgogne, t. LXXIV, folio 141). — MOREAU DE MAUTOUR. *Mémoire publié dans l'Histoire de l'Académie royale des inscriptions et belles-lettres*, t. IX, p. 193. — COURTÉPÉE, t. II, p. 386.

2. PETIT, t. I. Pr. 18, 30, 31, 40 ; HUGO. FLAVIN. *Chron.* SS. VIII, p. 415.

3. Domnus Accardus, Cabilonensis Episcopus, Ecclesiam de Ciliciaco dedicavit, suasu domni Arduini Lingonensis episcopi et Rocelini de sancto Juliano eius Decani. Quippe domnus Arduinus ad has partes non audebat propter infestationem Roberti Ducis accedere (PÈRARD, p. 73).

4. Dux Burgundiæ Rotbertus Haganonem Eduorum episcopum nimia infestatione gravabat (*Vita S. Hugonis cluniacensis ab Hugone monacho*, 7. MIGNE. P. L., t. CLIX, col. 920).

tissiodorensem episcopum, qui, jam tribus annis episcopatus confectis, defatigatus, abire monachusque fieri maluit apud Sanctum Salvatorem in pago Senonico[1]. Qua re permotus, terras abbatiis dare incepit Hugo I, ut restituere videretur[2] : itaque ægerrime tulit papa ducis tam benevolentis secessum.

Etenim Gregorius VII Hugonem Cluniacensem epistulis vituperavit quod, se invito, monachum recentem accepisset, et hortatus est ne posthac papæ jussa neglegeret : « Cur, inquit, frater carissime, non perpendis, non consideras in quanto periculo, in quanta miseria sancta versatur ecclesia ?... Fugiunt pastores, fugiunt et canes gregum defensores ; invadunt oves Christi, nullo contradicente, lupi, latrones. Tulisti vel recepisti Ducem in Cluniacensem quietem, et fecisti ut centum millia christianorum careant custode. Quod si nostra exhortatio apud te parum valuit, et apostolicæ sedis præceptum in te obedientiam non invenit ; cur gemitus pauperum, lacrymæ viduarum, devastatio ecclesiarum, clamor orphanorum, dolor et murmur sacerdotum et monachorum, te non tenuerunt ? ...Hæc ideo dicimus, quia quod vix aliquis princeps bonus inveniatur, dolemus. Monachi vero, Deo miserante, sacerdotes et milites, et non pauci pau-

1. *Vita Heriberti II, episcopi autis.*, apud *Gesta pontif. autis.* (Bibl. hist. de l'Yonne, t. I, p. 392). Cf. Lebeuf, *Mémoires concernant l'histoire ecclésiastique et civile d'Auxerre,* t. I, p. 240-241.

2. Etenim in quibusdam chartis, quibus tributo quodam Sanctum Benignum liberat, ita loquitur Hugo I : Abbas cum suis ad nostra vestigia venit suggerens cum gemitu ipsius desolationem loci et importunitates, vastationes, consuetudines quoque malas et injurias sibi suisque actenus tempore precessoris nostri injuste illatas (D. Plancher, t. I. Pr. XLI, XLIV).

peres, per diversa loca qui Deum timent reperiuntur; principes autem Deum timentes et amantes in toto occidente vix aliqui inveniuntur » [1].

Nec prave de ecclesiæ commodis censebat papa, quibus autem adversabatur, si dux quidam omnia sua clericis pronus ad cedendum in monasterii secessum refugiebat. Quod e posterioribus rebus constat. Etsi enim fratrem, nunc monachum factum reverebatur [2], longe abest quin Odo I tam ditioni ecclesiæ se permiserit. Tunc, in ecclesiarum terras rursus incurri; et Hugo Flaviniacensis quam pronus ad offensionem fuerit ille dux manifesto demonstrat, siquidem, ut narrat ipse, mulctam imposuit equi X librorum quod monasterio servientes quidam se parum in honore habuissent [3]. Cluniacenses monachi in primis sunt vexati [4], et cen-

1. HF. XIV, 628. — Diu laudibus ornatum Hugonis I « ducis monachi » nomen in ecclesia remansit (De Charmasse. *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I. Pars I, n° XII).

2. Pérard. *Recueil*, p, 203; Petit, t. I. Pr. 58, 61, 62, 99; Bruel. *Recueil des Chartes de Cluny*, vol. 4, p. 653, n° 3531 (Dux Oddo fecit aliam donationem Cluniacensi monasterio... Et hoc fecit rogatu domni Hugonis, fratris sui, jam tunc monachi, sed ante ipsum ducis). — Monachi molesmenses cum benefactorum gratias Odoni I agere voluerunt, tum « dederunt ei loricam precii triginta librorum, quam Hugo, frater ejus, Dux Burgundie temporalia cuncta postponens,... eis largitus fuerat » (Petit, t. I. Pr. 61).

3. Hugonis Flavin. *Chron.* SS. VIII, p. 480. — Alio die, Flaviniacenses monachi Odoni I dederunt etiam « equum centum solidorum pro honore » (*Ibid.*, p. 479).

4. Anno 1097 Urbanus II papa ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum scripsit : Pro causa Cluniacensis monasterii strenuitatem tuam sollicitam volumus, ut, cum a domino abbate requisitus fueris, de Duce Burgundiæ, de Aimone Borbonensi, qui eos acriter molestant, congruenter justitiam exsequaris (HF. XIV, 729). Odo I ipse in Cluniacenses injuria se usum esse confessus est in charta quadam anni 1101 (Pro hujus loci ceterorumque Cluniensium locorum infestatione intelligens offensam. Petit, t. I, Pr. 108). Cf. *Hugonis II*, filii et successoris Odonis I, *Diploma :* Et quia eedem violentie tempore Ducatus patris mei maxime increverant (D. Plancher, t. I. Pr. 47).

sere debemus Odonem I fortasse consulto Cisterciensibus favisse, ut eo modo primum monasticum ordinem in christianitate occidentali minorem faceret.

Ceterum Burgundiæ duces alium modum, nec minus artificiosum, adhibuerunt, ne episcopi et abbates sibi incommodi fierent : consanguineos ad ecclesiæ amplissimos gradus suscitabant. Ita Odonis I uterque frater, Renaldus et Robertus, ille Flaviniacensis abbas viginti annos vix natus, hic Lingonensis episcopus factus est. Anno 1140 alius Burgundiæ princeps, Robertus quoque nomine, Hugonis II tertius filius, Stephano, Augustodunensi episcopo successit ; aliquot quidem menses postea vixit, sed Henricus frater ejus, Augustoduni archidiaconus antea, et ipse ejusdem urbis episcopus creatus est in Humberti locum qui Lugdunensis archiepiscopus factus erat[1].

In diœcesi autem Augustodunensi, conspicuum monasterium quoddam sedebat, quod perpetuam gerebat controversiam adversus episcopos, id est Vizeliacense. Ut Cluniacense. illud monasterium e Roma pendebat[2] ; itaque plerumque antea litem obtinebant abbates. At Henricus, ducis

1. *Annales S. Benigni,* ad ann. MLXXVII, MCXI, MCXL ; *Chron. besuense,* p. 378. Cf. D. Plancher, t. I, p. 298-301.

2. Vizeliacense monasterium beatæ Mariæ Magdalene, quam proprie, quam specialiter ad jus beati Petri pertinet, et quod a suæ fundationis exordio sub apostolicæ sedis tutela commissum sit, tam vicini quam longe positi recognoscunt (Eugenii III *Epist.* HF. XV, 432). Cf. *Hist. Vizel. ab* Hugone Pictavino, lib. I (Migne. P. L. t CXCIV, col. 1565), et præsertim apud Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne,* t. I, p. 84, 105 ; t. II, p. 39, chartas Nicolai I, Johannis VIII et Paschalis II, quibus institutum est « quod fundatores ipsius (monasterii Vizeliacensis) Gerardus, comes, vir nobilissimus, et uxor ejus Berta, pia devotione, et testamenti confirmatione beato Petro Apostolorum principi obtulerunt. »

Burgundiæ filius, cum episcopus creatus est, iterum sus, nec eodem modo, controversiam renovavit[1].

Domestica potestate innixus, Henricus ille Vizeliacum subito vindicavit, et, Pontio abbate negante, fratris ducis auxilium petivit, quod Hugo Pictavinus his verbis denuntiat : « Repulsus episcopus vi extorquere voluit, quod subripere actionali persecutione non potuit... Arbitratus autem suum posse minus esse sufficiens ad præmeditatos perficiendum conatus, fratrem suum ducem, et alios etiam fratres suos in odium Ecclesiæ incitavit, et per eos quasi potentatum totius Burgundiæ in ruinam et dejectionem Ecclesiæ appulit et impulit »[2]. Odo vero, qui antea monachos Vizeliacenses adversus Nivernensem comitem defenderat[3], adeo non bellicosum illum episcopum placari et iram ponere jussit, ut auxilium ei præbuerit, Eugenio papa vehementer querente[4]. Unde ortum est bellum acerrimum : abbatiæ fines occupati sunt, agri vastati, homines deprehensi et ipsi monachi vexati ; vetitum est

1. De bellis Henrici, Augustodunensis episcopi, adversus Vizeliacensem abbatiam, lege præsertim *Historiam Vizeliacensis monasterii, auctore* Hugone Pictavino, lib. II (Migne. P. L. t. CXCIV, col. 1575 sq) et Eugenii III *papæ Epistolas* (HF. XV).

2. *Hist. Vizel. monast. ab* Hugone Pictavino, II, 3 (Migne, P. L. t. CXCIV, col. 1578).

3. Itaque Eugenius III illi scripsit : « De tua nobilitate plurimum confidentes, idem monasterium, et quæ ad ipsum pertinent, strenuitati tuæ duximus attentius commendandum » (H. F. XV, 432).

4. Significatum... nobis est, quod ecclesiam S. Mariæ Magdalene et ejus homines inquietas multipliciter et infestas. Quod tanto gravius ferimus, quanto personam tuam propensiori caritate diligimus, et salutem tuam debitis affectionibus præoptamus. Ideoque per præsentia tibi scripta mandamus quatinus memoratam ecclesiam et ejus homines infestare de cætero non præsumas, ne iteratus clamor ad nostras aures debeat pervenire (Eugenii III *Epist.*, ad Odonem Burgundiæ ducem, 1148, 3 april. H. F. XV, 448).

postremo quin homines monasterii Vizeliacum irent orationis causa [1].

Nolite tamen credere hæc ducum conata maximi esse momenti in ecclesiarum Burgundiæ historia. Etenim ducum filii vel nepotes, cum episcopi facti sunt, ecclesiæ commodo studuerunt, nec morem electionis violaverunt [2]. In eisdem chartis e quibus constat abbatiis terras subreptas esse, legimus easdem terras paulo post restitutas fuisse nec duces reprobatos propter rapinas, sed potius consiliarios pravos quosdam et ministros [3]; Cluniacensibus favorem non auferebant nisi ut Cisterciensibus tribuerent. Reipsa illi duces Burgundiæ pietatem consecuti sunt, nec infirmitatis, neque devotionis expertem; quapropter facillime monachorum querimoniis obnoxii erant: tunc peccata facinora censebant, vehementer confitebantur, nimiamque pœnitentiam adhibebant. Odo I dum Terram Sanctam petit, « multa pertractat de fragilitate suæ naturæ, ob enormi-

1. Eugenii III *Epistolæ* ad Odonem, Burgundiæ ducem, et Henricum, Augustodunensem episcopum, 1150 24 oct. — 1152 20 jun. (H. F. XV, 460, 475).

2. Vide quomodo Robertus, Roberti I ducis filius, Lingonensis episcopus factus sit « ut ergo dignum erat, communi voto, tam Cleri, quam populi » (*Chron. besuense*, p. 378). Cf. H. F., XV, 487, *Epist. decani Augustodunique ecclesiæ ad Sugerium*, Franciam vice regis gubernantem, qua probationem petunt, quod Henricus, Hugonis II ducis filius, episcopus electus est « consilio et assensu religiosarum personarum et totius cleri et populi ».

3. Quorumdam pravo suasu; ... per meos quos fideliores mihi et veriores esse credebam; ...prave suasionis instinctu (*Roberti I et Odonis I Diplomata* apud Petit, t. I. Pr. 18, 28 et Pérard, p. 76). — Tale exemplum offert Plomberias villæ historia, prope Divionem sitæ, quam ipse Hugo II ita narravit: Post aliquibus itaque annis Hugo Prepositus meus cepit istam potestatem infringere, et quod relaxaveram repetere, me inscio...: quod cum audissem dolui, et ipsum Prepositum vocans, precepi ut redderet quod tulerat...: quod et fecit (D. Plancher, t. I, Pr. 47). Cf. *Chron besuense*, p. 398.

tatem suorum scelerum » ; Robertus I « immanitatem rapinarum » queritur[1], et olim, velut ovis mitissima, Augustudonum in episcoporum concilium adductus, cum vehementer increparetur ab Hugone Cluniacensi, adsistentibus Godfrido Lugdunensi archiepiscopo, Hugone Bisuntinensi archiepiscopo, Accardo Cabillonensi episcopo et Drogone Matisconensi episcopo, subito territus, ecclesiæ pacem promisit[2].

Minime fidendum est his narrationibus quas tunc fecerunt quidam clerici vel monachi, ac neutris plus tribuendum est quam reipsa dixerunt : non ultra, sed citra posita est veritas. Quod non semper intellectum est ; itaque Robertus I Odoque I tyrannorum famam acceperunt, nec sceleris crimen fugerunt.

Odo I, si fides tribuitur traditis a multis jam seculis usque ad hanc ætatem, prædator fuit, auri avidus et omnia obstantia ad cupiditatem satiandam amovens, quin etiam, aliquando in viis insidens ut prætereuntes spoliaret. Sic olim sanctum Anselmum, Cantuariensem archiepiscopum, et comites aggredi ausus est qui Romam ire per Burgundiam festinabant : « Domine

1. Pérard, p. 75, 202 ; Petit, t. I. Pr. 29.

2. Aderat illustrium multitudo copiosa virorum, populus confluebat infinitus, pro pace supplicans indefessis clamoribus. Adveniens ipse dux, imo tyrannus, Æduam intravit ; sed fastu maligno interesse conventui recusavit. At Pater Hugo fervore charitatis concitus, tyrannum adiit ; quem vehementer increpans cunctis mirantibus tanquam ovem mitissimam secum adduxit (*Vita S. Hugonis ab* Hugone monacho. Migne, t. CLIX, col. 920-921). — Quando habitus sit hic conventus parum constat. *Galliæ christianæ* scriptores (t. IV, p. 88) intra annos 1062 et 1070 vel 1072 collocant ; D. Brial post 1058 (H. F. XIV, 71) ; Gagnare (*Hist. de l'Eglise d'Autun*, p. 97) anno 1057 ; Petit (t. I, p. 171, n. 3) anno 1060 et L'Huillier (*Vie de Saint-Hugues*, p. 197) censet habitum esse anno 1064 sub fine.

dux, inquit comiter archiepiscopus, si placet osculabor te. » Tum Odo verecundiæ causa vultum mutavit suisque dixit « se non hominis sed angeli vultum vidisse ». Anselmo tandem respondit se libenter eum osculari, et assequi velle, maximasque gratias Deo agere quod eum cognovisset. At brevi nostrum ducem pœnituit, nam Valentinensi concilio excommunicatus, palam pœnitentiam egit in monasterio Sancti Benigni Divionensis ; postea in Asiam profectus est ubi mortem obiit [1]. Immo Robertus I, Constantiæ reginæ matre non indignus filius, Heliam de Sinemuro uxorem repudiavit et socerum Dalmatium trucidavit ut incesto flagitio frueretur ; deinde, postquam subjectos vi tyrannidis exercuit, Floriaci « dedecorose » mortuus est. Attamen Hugo abbas, Dalmatii filius, Deum pro Roberto ipso oravit « propriis cruciatibus peccata quærens expiare aliena... et pro ejus (patris) interfectore, ne de eo antiquus triumpharet inimicus, oblatis Deo victimis et precibus, intercessit » [2].

Quæ ad pietatis exemplum præbendum ficta esse patet ; nam in hagiographis tantum narrantur et tale adhibetur narrandi genus quod dubiæ videtur fidei [3]. Ex uno scripto et quidem sub-

1. *L'Art de vérifier les dates*, t. II, p. 500 ; Pignot. *Histoire de Cluny*, t. II, p. 168-169 ; Petit, *Histoire des Ducs capétiens*, t. I, p. 237-238. — Hic fontem habemus Eadmer. *Historia novorum*, lib. II, apud Migne, t. CLIX, col. 403-404, vel *Gesta pontificum Anglorum* ab Guillelmo Malmesbur, I, 51. (SS. XIII, p. 136-137.)

2. Duchesne. *Histoire des Ducs*, t. I, p. 10-11 ; *L'Art de vérifier les dates*, t. II, p. 496-497, Courtépée, *Description du duché de Bourgogne*, t. I, p. 119 ; Pignot, *Histoire de Cluny*, t. II, p. 26 ; Petit, *Histoire des Ducs capétiens*, t. I, p. 165 ; L'Huillier, *Vie de Saint Hugues*, p. 71. — Fons est Hildebertus Cenomannicus, *Vita S. Hugonis*, V, 35, apud Migne, t. CLIX, col. 882.

3. Ita narrare incipit Hildebertus cum Dalmatium occisum memorat : Perpende, lector, quo affectu commissarum sibi salutem quæsierit ani-

obscuro relata est mors Roberti [1], et ejus pessimum facinus e nonnullis tantum verbis Hildeberti Cenomannici quibus parum fidei tribuendum est cognoscitur [2]. In eo solum peccaverunt Robertus I et Odo I quod tributa nonnulla in ærarium egens referre voluerunt, quæ a monachis injuste retenta censebant. Quod ad Robertum I adtinet, qui maxime inter duces fervido,

marum, qui etiam circa interfectores fratris ac patris sui Davidicam expressit et æmulatus est lenitatem....

1. Sancti Marcelli Cabillonensis monasteril prior quidam, quum querebatur agrum Floriaci usurpatum esse ab alienis, hæc addidit : Quia in præfata Ecclesia Robertus Dux nuper dedecorose obierat atque, hæc res plurimos populares terruerat... (Duchesne, *Histoire des Ducs*, Preuves, p. 19).

2. Defuncto autem patre suo, quem dux Burgundiæ gener ejus propria manu peremerat (*Vita S. Hugonis ab* Hildeberto Cenomann., V, 35). — Haud ignoratur Sancti Hugonis vitam non semel esse narratam, at primum, ab ejus discipulis Gilone et Hezelone, deinde ab Hildeberto, Raynaldo et Hugone Monacho (Migne, P. L., t. CLIX, col. 845-928. Cf. *Histoire littéraire de la France*, t. IX, p. 475). Quum neque Raynaldus, neque Hugo Robertum interfectorem fuisse contenderint, suspectum est Hildeberti testimonium, qui librum scripsit ut mirationis et eloquentiæ laudem obtineret (Hildeberti *Vita S. Hugonis ; prologus*. Migne, t. CLIX, col. 859. Cf. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen*, t. II, p. 181, et L'Huillier, *Vie de Saint Hugues*, Introd., p. XII). Quin etiam, documentum habemus, quo Hildebertus in hoc loco usus est, scilicet *Vitam Sancti Hugonis a* Gilone scriptam, ubi talia legi licet : « Pater quoque ejus (S. Hugonis) ferro ducis Burgondie... peremtus (L'Huillier, p. 604). » Quod si hujus sæculi linguæ rationem habemus, id nihil valet, nisi Dalmatium occisum esse in bello quodam adversus generum suum. Ita idem Robertus, in Augustodunensi concilio « sui mortem filii interfectoribus condonavit » (*Vita S. Hugonis* ab *Hugone monacho*. Migne, t. CLIX, col. 921), id est pacem composuit cum Nivernensi comite, cujus milites filium ejus occiderunt in bello. — Attamen velut novum argumentum inducitur quædam sculptura in ecclesia Sinemuri in Ausissio sita (Semur en Auxois. Sculpture de la porte des blés), qua fingitur Dalmatius a Roberto occisus, quod opus referunt quidam Robertum ipsum fingere jussum esse sicut facinoris piaculum (*L'Art de vérifier les dates*, t. II, p. 497 ; Courtépée. *Notes manuscrites pour servir à la description du duché de Bourgogne*, p. 1 sq. Biblioth. urbis divionensis, Fonds Baudot, n° 79; Pignot, *Hist. de Cluny*, t. II, p. 28-30 ; Petit. t. I, p. 168-169) : sed illam sculpturam tertiodecimo seculo fictam esse atque sancti Thomasei in Indis apostolatum exprimere nunc constat.

et quasi turbato vel potius præfestinato videtur fuisse animo, Fundatoris tamen partes tenuit apud æquales et, multis postea annis, laudem consecutus est ducis strenui, rerum publicarum periti, magnis virtutibus præditi, quam nunc ei reddere debemus[1]. Revera, Burgundiæ abbatiæ, cum laborassent, his regentibus, non a ducibus tantum accipiebant injurias[2], et duces, cum monachos vexavissent, æterni supplicii timore, mox prædam restituebant[3]. Itaque haud immerito dici potest nunquam in Burgundiæ Ecclesiam et præcipue in monasteria tantum adhibitum favoris et felicitatis quantum sub primorum capetianæ stirpis ducum imperio.

1. Constantia regina cum ad Franciæ regnum filiorum suorum quemdam designavit, dixit « tertium ad regni moderamen præstantiorem fore filium, qui et Rotberti patris nomine censebatur » (R. Glaber, *Hist.*, III, IX, 34). Cf. Orderic. Vital. : Rodbertus... Rodberti Francorum regis et Constantiæ reginæ filius fuit, cujus nobilitas de sanguine regum et augustorum processit, et in multis regionibus claris operibus et mirandis virtutibus admodum effulsit (*Hist. eccl.*, XIII, 15, ed. Le Prevost, t. V, p. 33).

2. Variis prædonum incursibus passim Burgundia laborabat (*Vita S. Hugonis* ab *Hugone monacho*, 7. Migne. P. L., t. CLX, col. 920). — Quod videlicet cenobium (S. Benigni) antiquæ nobilitatis religionis stemmate sub Willelmi abbatis regimine fuerat decoratum. Sed tunc Roberti ducis violentia et prælatorum incuria, subditorum quoque segnitia a pristino rigore videbatur aliquantulum imminutum (Hugonis Flavin. *Chron.* SS. VIII, p. 415).

3. Robertus I cum olim monachos Sancti Germani terram donaret, ita benefacti causas reddidit: Quoniam nos reminiscentes molæ nostrorum sarcina peccaminum, et trementes æquissimi examinationis juditium, Christo inspirante pertingere gliscimus ad future remunerationis bravium per elemosine largitatis auxilium (Petit, t. I, Pr. 29). — Eugenius III cum Odonem II ab abbatia Vizeliacensi impugnanda deterreret, eum hortatur « quia... hæc fieri in perniciem animæ suæ cognoscit » (H. F. XV, 460).

CAPUT IV

De Ducibus et nobilibus regibusque.

I. Unde ortum et quale fuerit apud Burgundiones feudorum regimen. De castellis. De prædandi et vagandi more.

De Roberti I bello adversus Nivernensem comitem. — Quomodo Curia ducis sit composita : barones, familiares, præpositi.

II. De Burgundiæ duce, regis Franciæ « homine ligio. » — Qua pro parte Burgundiæ duces regni Franciæ bella confecerint. — Quas res cum Ludovico sexto Hugo II contraxerit.

I. A media undecimi seculi parte jam institutus est ducum titulus, qui est « Dux Burgundiæ [1] ». Hoc titulo tantum usi sunt Roberti I successores, et enim solus in cancellariorum actis conscriptus est, et in monetis, et in sigillis [2]. Quapropter qui

1. Vide Acta Hugonis et Odonis I ap. PETIT, Preuves, t. I, nos 62, 99, 100, 102, 108, 127, 156, etc... : In nomine sancti Dei HUGO (vel ODO) BURGUNDIE DUX.

2. Quatuor illi primi duces in sigillis linguntur, dextera manu tenentes lanceam humero innixam, flammulaque et vexillo ornatam. Unus Odo II ensem strictum tenet brachiumque tendit, velut ad feriendum; circum legitur : SIGILLUM ODONIS DUCIS BURGUNDIE (D. PLANCHER, t. II, p. 523 et sq. *Note sur les sceaux des ducs de Bourgogne de la première race*, avec figures.) — Quod ad monetas adtinet, quæ quidem Divione signatæ erant, quarumque specimina notitia haud indigna servata sunt, uniusmodi videntur esse pleræque ; bina ex parte crux exprimitur : hic DIVON. CASTRI, illic ODO vel HUGO DUX BURG (A. DE BARTHELEMY. *Essai sur les monnaies des ducs de Bourgogne*. Mémoires de la Commission des Antiquités de la Côte-d'Or, t. III, p. 1 sq. ; *Notice sur les monnaies ducales de Bourgogne*, ap. PETIT, t. V, p. 339-346).

sic appellantur in feudorum regimine certum locum tenent, domino cuidam parent, vassallis imperant. Quomodo duces cum utrisque se gesserint nunc quærendum est, ut eorum regendi genus plane nobis cognitum sit[1].

Cum civilia et externa bella sævirent in Burgundia extremo decimo seculo, vel undecimo ineunte, tum Burgundiæ nobilitas specimen quoddam militaris nobilitatis facta est. Etenim impendentibus periculis, reliqui ingenui libertatem sic abalienaverunt ut in Besuensi chronico frequentissime inveniantur acta, quibus milites bona dono dant abbatiæ ut securitatem servent. Quæ non cuncta proferenda sunt, quod dicta eadem iterant, sed quibusdam exemplis tantum opus est.

Hic Lambertus « cum uxore sua, nomine Eremburgi, ac liberis Framiero, et Dominico, se tradit sancto Petro ad serviendum[2] »; alius monachis dat « omnem hereditatem alodi sui, quæ ei jure paterno cesserat, absque contradictione hominis ullius[3] »; alius « beneficium... ad integrum, ita ut neque ipse, neque alius heredum suorum repetere

1. Diligenter et minute describere quæ fuerit feudorum conditio in Burgundia ante tertii decimi seculi exitum haud facile, quia de his rebus prope silent chartæ: Antiquissimum enim feudorum atque vassallorum ducis codicem, exeunte tertio decimo seculo, constitutum esse nobis videtur (*Archives départementales de la Côte-d'Or*, B. 400. *Cartulaire des fiefs*). Adveuta, denumeramenta, hominia ducibus data, anno 1184 tantum cognoscere possibile est (*Ibid.* B. 10.470). Jam de ducatus finibus diximus nullum fuisse certum documentum ante quartum decimum seculum (B. 256). In hoc capite igitur summas rerum tantum exquiremus. — Quod pertinet ad ducum cum Franciæ regibus commercium, plerumque ad eruditissimi viri Luchaire operibus lectorem rejiciemus.

2. *Chron. besuense*, p. 299.

3. *Chron. besuense*, p. 341.

valeat [1] ». Maxime probat charta qua quidam Ærembertus beneficium vendit ; « hic enim, sicut ait Johannes monachus, nobili ortus erat prosapia, secundum sæculi dignitatem, sed propter intestina bella, quæ inter falsos Christianos geruntur, pene ad nichilum redactus erat, ita ut beneficium vendere vellet et manibus alienis tradere [2] ». Interea illi falsi christiani, id est qui viribus et audacia prævalebant, castra struxerunt, ducum castellis potiti sunt, ex vicinis auxerunt agros, nomini suo castelli cognomen adjunxerunt [3]. Sic constitutum feudorum regimen.

Sane non evanuerunt subito antiqui « pagi », vel comitatus [4], sed in memoria posteritatis permanserunt. Mox vero « castellania » prævaluit, id est dominium ex castello constitutum cum omnibus pertinentiis vel appendentiis [5]. Ducatus quidem his castellis abundabat, quæ in perpetuis montibus sita erant, qui divortia aquarum inter Oceanum et mare internum faciebant. Ut videtur, ab uno possessore quodque tenebantur, exceptis Burgundiæ duce præcipuisque vassallis, id est Augustodunensi comite, Matisconensi, Cabillonensi, Nivernensi, Autissiodorensi, qui permulta castra habebant [6]. Inter maxima

1. *Chron. besuense*, p. 332.

2. *Chron. besuense*, p. 327.

3. Vide supra, p. 28, n. 2 et 3. Cf. Seignobos, *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 91, n. 3.

4. In pago Lingonensi ; in comitatu Oscharensi ; in pago belnensi ; in comitatu belnense ; in pago heduensi (*Roberti I Diplomata*, apud Petit, t. I. Pr. 2, 3, 5, 29). Cf. Bruel, *Recueil des Chartes de Cluny*, t. IV, p. 683, n° 3516.

5. Cf. Seignobos, op. cit., p. 10.

6. De his comitibus, vide *L'Art de vérifier les dates*, t. II, p. 486 et sq. —

fuerunt Gurgeium, Luziacum, Blaseium, Somborno, Sarmatiæ, Rubeus mons, Castrum de Montebarro, Mons sancti Johannis, Mons regalis, Tilecastrum, Grinon, Granceium [1] ; e quibus nullum tamen tanta fuit firmitate quantâ Vergiacum castrum [2]. Illud enim media ætate « inexpugnabile » dicebatur [3], quam famam obtinuit non solum quod firmiter erat munitum, sed quia laudatissimis virtutibus insignes fuerunt antiqui possessores, qui a Manasse illo orti erant, Richardi Justificatoris amicissimo, et secundum illum apud Burgundiones clarissimo [4].

Anno 1166, Ludovicus VII, cum Willelmum, Cabillonensem comitem, redigere vellet, primum occupavit « castella et munitiones ejus » (Hug. Vizel. *Hist.*, lib. IV. Migne. P. L. t. CXCIV, col. 1678).

1. Etsi Burgundiæ castellaniarum ignoramus quæ fuerit series ea ætate, earum tamen nomina referre licet si conjunguntur nomina, seu in Actis ducalis cancellariæ inscripta, seu in quibusdam documentis pontificalis curiæ, seu apud chronographos. In primis permultas enumerasse videtur bulla quædam Paschalis II anni 1105, qua firmat privilegia possessionesque Lingonensium episcoporum (*Gallia christiana*, t. IV, p. 153. Preuves). — Odo I, postquam Cisterciense oratorium dedicavit, simul atque Belnensis vicecomes, chartam quamdam tradidit ab Hugone Montis Sancti Johannis, Hugone de Granceio, Milone de Frolleis subscriptam (Duchesne. *Hist. des Ducs*. Pr. p. 24). Hugo quoque Flaviniacensis multos inducit castellanos, cum lites narrat inter eos abbatiamque suam (Migne. P. L. t. CLIV, col. 361, 363). Vide tandem HF., XV, 658, epistulam quamdam Anastasii IV, summi pontificis, ad Odonem II, ubi multos Burgundiæ principes nominat.

2. Construit de très longue ancienneté, ait Duchesne, dans le diocèse d'Autun, sur le sommet d'une haute montagne qui paroist à la main droite de Nuitz comme l'on va de Dijon à Beaune, l'édifice basty en forme de navire estoit partout environné du roc et n'avoit qu'une avenue du costé du portail, encore si mal aisée et difficile qu'on ne la pouvoit gagner. Ce qui l'a maintenu en réputation d'une des plus fortes places du pays durant la révolution de plusieurs siècles (Duchesne. *Hist. de Vergy*, p. 4).

3. Hugonis Vizel. *Hist.* (Migne. P. L., t. CXCIV, p. 1633). — Vergiacum castrum, anno 1609, jubente Henrico IV, eversum est : nunc nihil exstitit nisi minima vestigia.

4. Militiæ studiis ac seculi industria clarus, vir strenuus Manasses, prædicti scilcet Ducis Richardi amicissimus, atque post illum in totius Burgundiæ indeptus Ducamine (Duchesne. *Histoire de Vergy*, p. 13, 33, et Preuves, p. 15).

Quantum intellegi potest, undecimo et duodecimo seculo Burgundiæ nobiles agendi genus adhibebant quale a majoribus acceperant : vagam et prædatoriam vitam agebant. Postquam vicinorum monasteriorum agros depopulati erant, Cluniaci, Vizeliaci, Flaviniaci[1], in longinquis regionibus fortunam tentabant, et crucesignatorum bella eo libentius conficiebant quo minus ad utilia pertinere videbantur. Ceterum longissime piarum militiarum fines quasi proferebant, siquidem res gerebant ubicumque cædere vel expilare licebat, Christi nomine.

Anno 1066, in Willelmi, Nortmannorum ducis, exercitu, numerantur Burgundiones permulti, qui vel postea stipendia victoris meruerunt[2]. Inveniuntur quoque in Hispania, quum sævit adversus Sarracenos bellum, quod ad geren-

1. Cluniacensis abbatia in primis a comitibus Matisconensibus oppugnata fuit (Bruel, *Recueil des Chartes de Cluny*, t. I). Nivernenses quoque comites Vizeliacensem abbatiam odio habere assueverant (*Hist. Vizel. monasterii*. Migne. P. L., t. CXCIV, col. 1590). Flaviniacensem abbatiam deprædati sunt castellani de Granceio, Grinon, Duismo, Sombornone, Sarmatiis. — Cf. Hugonis Flaviniacensis *Chron.* : « Interim feci pacem cum Rainaldo de Granciaco, qui frequentibus irruptionibus et deprædationibus omnia nostra perturbabat », et alio in loco : Die autem festivitatis... 8 Idus Novembris venerunt Divionem duo ex fratribus Flaviniacensibus missi ab eis, mandantes ut redirem, ipsi obedirent nobis. Consilium vero fratrum nostrorum fuit, quia dicebant pro timore Sarmatiæ et Sombornonis, quorum castrorum habitatores ecclesiam Flaviniacensem impugnabant, se non posse ut decebat ad nos venire... (Migne. P. L., t. CLIV, col. 361, 377).

2. Rumoribus quoque viri pugnaces de vicinis regionibus exciti convenerunt, et bellicis instrumentis ad præliandum sese præparaverunt. Galli namque et Britones, Pictavini et *Burgundiones*, aliique populi Cisalpini ad bellum transmarinum convolarunt, et Angliæ prædæ inhiantes variis eventibus et periculis terræ marique sese obtulerunt (Ord. Vital. *Hist. eccl.* III, 1. ed. Le Prévost, t. II, p. 125). — Quum Guillelmus Nothus Cenonannicam regionem conquirere cœpit, « Franci... et Burgundiones... phalanges ejus multipliciter auxerunt. » (*Ibid.* X, 7, ed. Le Prévost, t. IV, p. 45).

dum Castillæ reges et Leonis a christianis trans montes sitis persæpe auxilium petunt. Prudenter Ferdinandus I et Alfonsus VI Cluniacum adierunt, quod eos non fugiebat hanc abbatiam magni ponderis esse apud æquales, et abbatibus pro auxilio annualem censum polliciti sunt, hispaniarumque ecclesiarum vel monasteriorum rectionem tradiderunt [1]. Cluniacenses monachi non ingrato fuerunt animo. His postulantibus, permulti Burgundiones montes transierunt, seu proprio motu, seu a ducibus ducti; qui, eis exceptis qui mortem obierunt vel in Hispania domicilium collocaverunt, « plurima onusti præ-

1. Sackur, t. II, p. 101 sq. (*Die Cluniacenser in Spanien*); Pignot. *Histoire de Cluny*, t. II, p. 108 sq. — Quasi emptio quædam facta est inter Hispaniæ reges Cluniacensesque abbates, jurejurando gravissimo adstrictos. Quum Alfonsus rex censum annualem, quem Ferdinandus predecessor Cluniacensibus jam solvebat, duplicavit (Bruel, *Recueil des Chartes de Cluny*, t. IV, nos 3441, 3509, 3562, 3638; Migne, t. CLIX, col. 962), talibus verbis haud ambiguis usus est : « De cetero vos sciatis me ad præsens in pacificandis Yspanie urbibus valde adtentum esse, que postquam, quod, Deo annuente, in proximo futurum est. mihi adcline fuerint, ecclesie quam ædificatis auxilium faciam et voluntati vestre summopere adquiescam. Nunc vero per domnum Siguinum... decem milia talentorum vobis transmitto » (Bruel, t. IV, p. 697-698, n° 3562). Quæ epistola ad Sanctum Hugonem missa circiter anno 1080 scripta est. Decem post annis, cum Burgundiones, ab Odone I ducti, in Hispaniam transierunt Tudelamque expugnaverunt, ita Cluniacensibus monachis gratias egit Alfonsus : « Quia vero placuit omnipotentie Creatoris in regno Hesperidum roborare solium meum, ego Dei gratia rex Adefonsus, sicut heres paterne dignitatis, ita quoque bone successor voluntatis, pactum fraterne societatis cum meis Cluniacensibus inii, statui, firmavi ; censum quoque largitatis paterne duplicavi, duo milia mancales in censu annuali Cluniaco persolvens (Bruel, t. IV, p. 809, n° 3638). — De illo Hugone, Cluniacensi abbate, cujus interventu præsertim Hispaniæ reges Burgundiæque proceres inter sese res gesserunt, cujusque nomen persæpe memoratur in Burgundiæ historia undecimo sæculo, cf. Migne, t. CLIX, Sackur, Pignot, Lorrain, op. cit. ; Lehmann, *Forschungen zur Geschichte des Abtes Hugo von Cluny*, in-8, 113 p. Göttingue, 1869; Neumann, *Hugo I der Heilige, Abt von Cluny*, in-4°, 1879; L'Huillier. *Vie de Saint-Hugues, abbé de Cluny*, 1024-1109, 1 vol. in-8°, 647 p. Paris, Palmé, 1888.

da, quamplurimis captivis adductis[1] », domum redierunt. Bis transmarinum bellum in Burgundia prædicatum est, anno 1100 in concilio apud Ansam[2], et anno 1146 in Vizeliacensi conventu. Quoties prædicabatur, toties ad Terram Sanctam iter pergebat hominum multitudo. Anno 1100 proficiscuntur et Willemus, Nivernensis comes, simul atque mille et quingenti homines e comitatibus Nivernensi, Autissiodorensi, Tornodorensi delecti, et Godfridus Dunziacus, Cabillonensis comes, Hugo de Tusiaco, Hugo de Rubeo monte, Ascelinus de Castelcensorio, Hugo de Meriaco, Milo de Wangionum rivo[3]. Anno 1146, plures etiam crucem assumpserunt[4]; nec solum notandi sunt milites qui sacrorum bellorum participes fuerunt, sed etiam qui pæne quotannis Hierosolimitanam

1. *Ex hist. francicæ fragm.* (H. F. XII, 1.) — Cabillonenses comites præsertim in Hispaniam transierunt, atque inter illos, Theobaldus, postea Hugo, ibi mortem obierunt (Bruel, *Recueil des Chartes de Cluny* n° 3802, t. IV, p. 761; Canat. *Origines du prieuré de Paray-le-Monial*, p. 29-39; *L'Art de vérifier les dates*, t. II, p. 529). Hoc exemplum quoque Nivernenses comites secuti sunt (*Hist. Vizel. ab* Hugone Pict. lib. III. Migne, P. L., t. CXCIV, col. 1061). — Medio undecimo seculo, homo quidam, Aimericus Picaudus nomine, libellum manu scripsit, ubi permultas fabulas de Sancto Jacobo narravit, a Calixto II summo pontifice olim collectas. In eodem libello erat preciosum Itinerarium, ad usum peregrinatorum qui de Burgundia ad Gallæciam frequenter ibant. At typis nondum mandata sunt hæc scripta quorum exemplaria, numero sex, invenire potes, sive in Bibliotheca generali Parisiensi (*Bibliothèque nationale*. Fonds latin, n°s 3550 et 13775), sive Monte Pestellario (*Bibliothèque de l'Ecole de médecine*, n°s 39, 142, 235, 281).

2. Anno ab incarnatione Domini 1100 apud Ansam convenerunt archiepiscopi Lugdunensis, Cantuariensis, Senonensis, Turonensis, Bituricensis, et episcopi numero novem, Eduensis, Matisconensis, Cabilonensis, Autissiodorensis, Parisiacensis, Diensis, et alii duo, et pace statuta, de via Iherosolimitana loquuti sunt. (Hug. Flavin. *Chron.* lib. II, SS. VIII, p. 487.) Lugdunensis archiepiscopus summi pontificis assensum attulit, qui « annuerat, ammonens ut per se iret, ut legationem suam ei committeret in Asia, quam bene rexerat in Burgundia. »

3. Petit. *Histoire des Ducs capétiens*, t. I, p. 263-264.

4. Petit. *Histoire des Ducs capétiens*, t. II, p. 93 et sq.

viam sequebantur, postquam ecclesiis bona dederant ut animam salvarent[1].

Eamdem rationem adhibuerunt duces omnibus nobilibus, majoribus vel minoribus, et impedimento plerumque non fuerunt eorum studiis, id est vastandi et vagandi moribus : quod, ut placuit, fecerunt. Sed ita vitata sunt bella inter seniorem et vassallos, nec ullum accipimus fuisse certamen in Burgundia nisi Roberti I adversus Nivernensem comitem. Ille, Raynaldus nomine, famosi Landerici filius, duxerat uxorem Roberti pii filiam et subjexerat Nivernensem Autissiodorensemque comitatum auctoritati suæ. Tantum vassallum censuerit forsitan dux metuendum esse; itaque apud Saigniacum anno 1040 armis victum trucidavit[2]. At Willelmus, Raynaldi filius et heres, patrem brevi ultus est ; nam Hugonem, Roberti filium majorem, usque ad Sancti-Bricii vicum, ubi domos, non exceptis feminis et pueris in ecclesia reconditis, incendebat, anno 1059 persecutus est et occidit. Anno post, Burgundiæ dux, Theobaldo, Cabillonensi comite, auxilio juvante, Sancti Germani castrum subito expugnavit[3], quæ victoria brevis Nivernensem Autissiodorensemque comitem non prohibuit quin Tornodorensem etiam acqui-

1. Vide Bruel, *Recueil des Chartes de Cluny*, t. V, nos 3712, 3735, 3755, 3840, 3893 etc....

2. Rod. Glaber. *Hist.* IV, ix, 26. — *Necrologium ecclesiæ autissiodorensis*, mense maio 29 (Lebeuf, t. I, Pr. p 250).— *Ex historia brevi comitum Nivernensium* (H. F. X, 259, XI, 283). — Cf. Lebeuf, *Mémoires concernant l'histoire ecclésiastique et civile d'Auxerre*, t. II, p. 61.

3. *Ex chron. brevi autiss.* (H. F. XI, 292). — Errat sane Lebeuf, cum mortem Hugonis in anno 1057, ex chronico autissiodorensi collocat (*Mémoires*, t. II, p. 63), nam eumdem Hugonem inter optimates, qui anno 1059 consecrationi Philippi regis adfuerunt, invenimus (H. F. XI, 33).

rerct et quasi monarchiam quamdam sibi constitueret[1]. Pacem acceperunt tandem adversarii in Augustodunensi concilio[2], nec jam rupta est, quia scilicet Roberto res non feliciter evenerat.

E nobilibus, qualicumque erant amplitudine, sive comitatus sive castella possidebant, ducis Curia constabat. Acta publica vel privata persæpe de eis mentionem faciunt, cum nominibus diversis sed idem significantibus : barones, optimates, proceres, castoreati proceres[3]. Partes quasdam tenent cum dux mutatur[4], qui coram eis consilia

1. Monarchiam Nivernensis et Autissiodorensis atque Tornodorensis provinciæ obtinuit (*Ex hist. brevi Comitum Nivernensium*, H. F. XII, 316). Idem scriptor ita Willelmi Nivernensis regnum breviter narrat : Possessionibus multis ditatus, quinquaginta millia solidorum in thesauro suo semper habuit ; de quibus circa terminum vitæ suæ Basilicam S. Stephani extra muros civitatis Nivernis ædificavit. Dilatavit et ipse terminos intra fines Lingonum, Comitatum Tornodorensium apponens Comitatui Nivernis et Altissiodori, unum de tribus componens (H. F. XI, 281). — Notandum est nivernensem titulum solum a Willelmo vel ejus successoribus esse retentum, nec tornodorenses, neque autissiodorenses comites se dixisse (Quantin. *Cartulaire général de l'Yonne*, t. II, Introd., p. xxxix).

2. Tantam mox prædicatio sancti (Hugonis Cluniacensis) efficaciam habuit, ut eo jubente, dux ipse sui mortem filii interfectoribus condonaret et Ecclesia pacem reciperet (*Vita S. Hugonis ab Hugone monacho*. Migne. P. L. t. CLIX, col. 921). Quo anno, incertum est (vide supra, p. 68, n. 2). Pax, quam Burgundiæ duces cum nivernensibus comitibus fecerunt, diu permansit, et postea comites ducibus frequenter se junxerunt, sive ut eorum curiæ adessent, sive ut Franciæ regi copiarum auxilium ferrent.

3. Dux et sui... Ducis et curie sue (Hugonis II *Diplom.*, ann. 1113, apud De Charmasse, *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I, 1 pars. Pr. 12). — Duce et pluribus baronibus Burgundie (Pérard, *Recueil*, p. 100).— Barones accersiit... et, ut regiam sibi et optimatibus suis festive ornarent... (Ord. Vital. *Hist. eccl.* XIII, 15) — Duce Burgundie cum suis castoreatis proceribus (De Charmasse, *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I, 1 pars. Pr. 40). — Fuit enim idem Manasses ex majoribus et nobilioribus Proceribus Burgundiæ natus (Petit. t. I, Pr. 27).

4. Robertus antequam mortuus est, jussit nobiles postremo filio parere, ut duci (Ord. Vital, *Hist. eccl.*, XIII, 15). — Nobiles qui quidem Divione aderant, Hugonem tandem assecuti sunt in Sanctum Benignum, et in palatium solenniter novus dux introiit (Ord. Vital. loc. cit.) Cf. D, Plancher, t. I, Pr. XLI, XLII, XLV.

capit et chartis subscribit [1]. Cum dux se movet, sequuntur; cum abest, eodem modo filio adstant, rempublicam vice patris gerenti [2].

Ceterum nihil humilius modestiusque quam illa Curia ducis. Primum vagatur. Divio enim, etsi præcipue in hac urbe dux sedet et eam pulchriorem facit [3] et in ea palatium habet abbatiamque ubi imperium accipit, ut quasi Burgundiæ prima urbs esse videatur, tamen capitis nomine non incaute debet ornari. Etenim ibi non stat imperii sedes. Curia est ubi sunt duces, Divione, Belni, Castellione præter Sequanam, Avallone [4].

Quamvis a principio omnes nobiles consilium præbent in rebus regendis, reipsa raro adsunt; quod contra assidue ducibus intersunt quidam *milites* vel *familiares* vocati [5], quia principem nunquam deserunt. Ex præcipuis, ut in omni hujus

1. Consilio... optimatum meorum animatus (*Roberti I Diplom.*, ann. 1043, apud PETIT, t. I, Pr. 30). — Coram domino Hugone Duce et obtimatibus suis (*Hugonis II Diplom.*, ann. 1103, apud PETIT, t. I, Pr. 126).

2. Quod quidem evenit, cum Odo I in Terram Sanctam profectus est (Filio meo Hugone, quem vice mea in loco honoris mei relinquebam .. PÉRARD. *Recueil*, p. 202. — Hugonem, filium suum, cui ducatum reliquerat. PETIT, t. I, Pr. 108). Ignoratur quid evenerit, ceteris ducibus absentibus.

3. Duabus ex partibus tum constat urbs Divio : castrum romanum sanctique Benigni vicus prope abbatiam situs. Anno 1137, cum domus pleræque flammis consumptæ fuissent, Duces statuerunt simul castrum et vicum mœnibus circumdare, quod non cito effectum est.

4. In curia Ducis apud Castellionem (*Hugonis II Diplom.*, apud PETIT, t. I, Pr. 126). — Præsentibus multis nobilibus viris, qui tunc ad Ducis curiam convenerant (*Hugonis II Diplom. avalense*, ann. 1106, apud PETIT, t. I, p. 280, n. 8). Cf. *Hist. Vizel. ab* HUGONE PICTAVINO, IV : Avalonam,quod est castrum ducis Burgundiæ (MIGNE. P L., t. CXCIV, col. 1654).

5. *Milites* plerumque nominantur (Vide *Roberti I Diplomata* apud PETIT, t. I, Pr. 18. 19, 21 etc. et PÉRARD, p. 76 sq.). — *Familiares* dicuntur in quodam documento anni 1104 (PETIT, t. I, Pr. 134. Cf. SEIGNOBOS. *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 173). — Domestici quidam palatii officiis fungebantur, qui sunt « mansionarii aulæ principalis » (ORD. VITAL. *Hist eccl.*, XIII, 15).

temporis curia, notandi sunt sex *officiales* [1], idest cancellarius, senescalcus vel dapifer, connestabulus vel connestabularius, camerarius, pincerna et marescalcus [2]. Denique ut in thesaurum referantur prædiorum fructus seu tributa exigua, quæ dux recollegit a regaliis et advocatiis, officiales quosdam habet minoris momenti : theloneárium, præpositos, qui in præcipuis ducatus urbibus olim instituti, in memoria adhuc servati sunt quod severe pecunias exegerunt et querimonias moverunt acerbissimas [3].

1. Officiales cunctos... accersiit (Ord. Vital. *Hist. eccl.*, XIII, 15).

2. Dixit eruditissimus vir Seignobos sub tribus ducibus, qui primum Burgundiam rexerunt, unum cancellarium, unum senescalcum, unum comestabulum, duo marescalcos tantum esse, atque anno 1170, Hugone III regnante, camerarium, anno 1218 buticularium inveniri posse, « ita ut divisio in quatuor officia tertiodecimo seculo in Burgundia existere videatur » (p. 172-173); idem scriptor dicit (p. 174) venatoris officium posterius esse. Quod non omnino verum nobis apparet. Et enim duo venatores jam inveniuntur anno 1053 (Petit, t, I, Pr. 35, 51), camerariusque et pincerna anno 1100 (Pérard. *Recueil*, p. 81). — Inter Burgundiæ curiæ officia, senescalci munus in primis proferendum est. Antequam, exeunte duodecimo seculo, dominis de Vergeio tradi solitum sit (Duchesne, *Hist. de Vergy*, p. 131 sq.; Garnier, *Chartes de communes en Bourgogne*, t. I, p. 7, not. 1, p. 25 not. 1), nunc inter duos officiales dividebatur, quorum erant nomina Rainerius et Accardus (Rainerius senescalcus..., item Achardus senescalcus. Petit, t. I, Pr. 99). Alter non dubito quin majoris natu successionem habuerit, nam Rainerius anno 1077 jam diplomata subscripsit (Petit, t. I, Pr. 48), et anno 1107 unus apparet Achardus (Acardus, dapifer, in cujus lorica donum hoc confirmatum est. Petit, t I, Pr. 144). Nec dubium est quin officiales inter milites fuerunt, si talia verba in quodam ducum diplomate legimus : Actum est hoc apud Castellionem coram istis militibus qui hujus rei testes sunt : Raynerius, senescaldus, Walterius, conestabulus (Petit, t. I, Pr. 101). — Cf. D. Plancher, t. II, p. 253 sq. : *Officiers des ducs de la première race.*

3. Præsentibus cunctis et futuris notum esse volumus, quod Hugo Thelonearius dictus, ministerium Thelonei, scilicet de recipiendis redditibus venditionum... amiserit (Pérard, *Recueil*, p. 183). — Accessitque abbas (Vizeliacensis) ad ducem Burgundiæ, rogans eum ut obsessis opem ferre dignaretur. Protinus ille scripsit Guntardo præposito Avalonensi, præcipiens ei quatenus quæque venalia terræ suæ Vizeliacum indubitanter conduceret et etiam si necesse foret armis defenderet (*Hist. Vizel. ab* Hugone Pictavino, lib. IV. Migne, P. L., t. CXCIV, col. 1676). Præpositos ducales ea

II

Burgundiæ duces, ut vassallis fere omnia sinendo, ita cum regibus prudenter agendo tranquillitatem obtinuerunt.

Scilicet non eisdem affinitatibus juncta erat nova domus ducalis cum regibus capetianæ stirpis, quibus antea ultimi Richardi Justificatoris successores cum Caroli Magni postremis heredibus. Henricus I rex, cum fratrem Robertum ducatu donavit, non procurationem Burgundiæ sed dominium tradiderat. Immo nunquam ducatum redigi posse in regnum cogitaverat, nam tribus post seculis, anno 1364, Johannes rex, cum Burgundia in possessionem venit, eam a se accipi declaravit « jure proximitatis, non ratione coronæ suæ [1] ». Attamen summam imperii duces non tenebant, sed hominium regi præstare debebant [2]. Itaque

ætate invenimus præcipue Divione, Belni, Avalone, Argiliaci (PETIT, t. I, Pr. 29, 35, 36, 51, 134; DUCHESNE. *Histoire des Ducs*, Pr. p. 24; *Hist. Vizel. ab* HUGONE PICTAVINO, loc. cit.) — Ineunte quarto decimo seculo, Robertus II dux tunc etiam a quatuor vel quinque consiliariis tam ecclesiasticis quam clericis adjutus, ducatum percurrebat ut census annuales perciperet ipse (J. GARNIER. *Introduction de l'Inventaire des Archives départementales de la Côte-d'Or. Archives civiles.* Série C, tome II, p. 1).

1. Joannes Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus per præsentes, tam præsentibus quam futuris, quod cum nuper per mortem charissimi filii nostri Philippi Ducis Burgundiæ, Ducatus Burgundie cum juribus et pertinentiis universis nobis in solidum jure proximitatis, non ratione corone nostre debitus, ad nos fuerit devolutus, et in nos jure successorio translatus, ac a nobis tanquam noster acceptatus... (D. PLANCHER, t. II, Pr. 312). Cf. FROISSART, I, 150: « Le roi de France par prochaineté retint et prit le duché de Bourgogne. »

2. Dux Burgundiorum, et multi alii consules qui sunt sub Rege Francorum (*Chron. S. Petri civi senonensis*, auct. Clario, ann. 1109. *Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 517). — Notum est majestati vestræ, quod filius

tria eorum erant officia : fidelitas, curia, militia [1], quibus, ut infra apparebit, probe fungebantur.

Hujus temporis rara exstiterunt documenta, nec mirum, cum ea sit remotissima ætas; sed quod rara sunt scripta, ideo non silent [2]. Eis enim quæ superfuerunt si utimur, brevi cerni potest quantam, usque ad medium duodecimum seculum, gentis capetianæ utraque familia, Burgundiæ Franciæque, communis originis memoriam tenuerit [3] et quam concors plerumque vixerit.

Primus Robertus, postquam fraterna auctoritate Henrici regis innixus est ut de Autissiodorensi comitatu propositum suum conficeret [4], fratri adfuit in Senonum concilio anni 1048 [5], annoque 1059 filium natu maximum Hugonem sicut legatum misit ad principis coronationem, postea Phi-

meus homo vester est legius.., et quicquid ipse potest, vestrum est; et si magis posset, vestrum esset (*Epistola Mariæ, ducissæ Burgundiæ*, Hugonis III matris, ad Ludovicum VII, Franciæ regem, ann. 1173, H. F. XVI, 67).

1. Luchaire. *Histoire des Institutions monarchiques de la France sous les premiers Capétiens*, t. II, p. 45-47.

2. « Les textes, où il est question des hommages rendus au roi pour les grands fiefs au XIe et au XIIe siècles sont peu nombreux.... Ils ont rarement trait au duché de Bourgogne » (Luchaire, *Hist. des Inst. monarchiques*, t. II, p. 37, 39). Cf. Luchaire, *Annales du règne de Louis VI le Gros*. Introd. p. CIX).

3. Homo vester est legius, et si, placet, vester consanguineus (*Epist. Mariæ, ducissæ Burgundiæ* jam cit.). — Frequenter memorat Robertus I in diplomatibus se Roberti regis filium esse (Petit, t. I, Pr. 18, 27, 30); immo dicit : Ego Robertus, regis Roberti filius, et Regis Henrici filii ejus germanus (Petit, t. I. Pr. 17). In suo sigillo, sub pedibus habet lilii florem (Pérard. *Recueil*, p. 191). — Anno 1085, Renaldus Flaviniacensis abbas et Odonis I, tunc ducis Burgundiæ, frater, regem Philippum I aggreditur ut confirmet abbatiæ suæ privilegia; cui rei assentit Philippus talibus verbis : Cujus petitionem nos justam censentes, tum ejus amore qui nobis carnis junctus est affinitate, tum... (Duchesne. *Histoire des Ducs*. Pr., p. 27).

4. Sua et fraterna regis Henrici potestate elatus (*Gesta pontif. autis. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 392).

5. Actum publice in Senonico Palatio anno Incarnati Verbi MXLVIII et regni Henrici regis XVII... Robertus Dux Burgundiæ (HF. XI, 585).

lippi I regis facti[1]. Odo I in curia regis versatus est, chartis subscripsit, in bellis auxiliari solitus[2]. Anno 1081, præest Burgundionum exercitui cuidam, Willelmo Nivernensi comite et Gaufredo Autissiodorensi episcopo sibi adjunctis, quum adversus Hugonem de Puteolo rex bellum gerit, in quo quidem Burgundiones fœde fusi fugatique sunt[3]. In Augustodunensi concilio tandem sedit, in quo rursus excommunicatus est Philippus, sed dux ab injuria in regem videtur abstinuisse[4]. At id præsertim proferendum est, qua diligentia et studio milites a ducibus colligi soleant et ad regem adduci, quotiescumque Anglorum vel Germanorum impetus Galliæ impendet.

Anno 1054, cum Henricus I Willelmum Nothum timet ut nimis acquirendi cupidum et a vassallis

1. Widdo Dux Aquitaniæ. Post, Hugo filius et Legatus Ducis Burgundiæ (*Coronatio Philippi I.* HF. XI, 33).

2. Anno 1115, Odo I eis adfuit qui subscripserunt diplomati, quo Philippus I Hugoni Cluniacensi Mauziacum monasterium datum esse confirmat (Actum est hoc publice Mauziaci... Philippus... S. Odonis Ducis Burgundiæ. S. Rotberti comitis Arvernorum. S. Willelmi filii ejus. S. Widonis dapiferi Regis. S. Adelelmi connestabuli ejus. Bruel, *Recueil des Chartes dè Cluny*, n° 3699). Notandum est in illa charta Burgundiæ ducem post ecclesiasticos vassallos, sed ante laicos et officiales venire : unde tamen nihil est concludendum, quippe Burgundiæ dux post Aquitaniæ ducem Philippi I coronationi adfuit. Cf. Luchaire. *Hist. des Inst. monarchiques*, t. II, p. 230.

3 Rebellaverunt... contra (Philippum Regem) quidam Francorum Proceres : ex quibus Hugo de Puteolo... Rex vero ejus audaciam compescere cupiens, undequaque militum contrahit manum. Inter reliquos etiam auxiliares exercitum de Burgundia adventare jubet : qui *accepto mandato,* in Franciam properant, Dux videlicet eiusdem Burgundiæ Odo, Nivernensium Comes Guillelmus, Autisiodorensium Pontifex Gaufredus, et alii qnamplures. Capti sunt in illa fuga quamplurimi nobiles viri, maxime exercitus Burgundiæ... Episcopus... cum patre Nivernensium Comite captus, coactus est seipsum non modicæ quantitatis pecunia redimere (*Ex miraculis S. Benedicti abbatis.* HF. XI, 487).

4. Petit, t. I, p. 232.

auxilia petit, in primis accedit Robertus I [1]. Anno 1071, Philippus I Burgundionum auxilio innititur, dum de hereditate Flandriæ pugnat [2]; nec ullum fugit quomodo Ludovicus VI regnum obtinuerit, dum Henricus I, Nortmannorum dux et Anglorum rex, hominium abnuit et Gisortium castrum sibi vindicat. Ludovicus ille juvenis regius jam militum Burgundiæ impetum mirari potuerat qui, Arvernicis nonnullis et Bituricensibus juncti, bellum gesserant ad dividendum Vilcassinum [3]. Rursus igitur a Burgundionibus exercitum petivit, quem Hugo II ipse ad Plancas Ninfeoli duxit [4]. Frustra convenerunt Franciæ Anglorumque reges, quamvis maximos collegissent exercitus; per biennium parvulis præliis pugnatum est, quibus non dubito quin dux adfuerit, siquidem in Burgundionum chartis tum abest [5]. Decem annis post (anno 1119), postquam regius exercitus debellatus est apud Brenmulas et novus collectus ex omnibus, Burgundiones in primis tribuerunt milites [6]. Pos-

1. Luchaire. *Histoire des Institutions monarchiques*, t. II, p. 234.

2. Nadavernenses, Burgundienses (*Ex genealogia comitum flandriensium*, HF. XI, p. 391). Cf. Luchaire, o. c., t. II, p. 49.

3. Videres juvenem celerrimum modo Bituricensium, modo Alvernorum, modo Burgundiorum militari manu transvolare fines nec idcirco tardius, si ei ignotescat, Vilcassinum regredi (Suger. *Vie de Louis le Gros*, 1, ed. Molinier). — Hoc bellum, quod tres annos perduravit, exeunte anno 1097 incepit.

4. Collectis igitur magna ex parte Francorum regni proceribus, videlicet Roberto Flandrensi comite..., comite Teobaldo palatino, comite Nivernense, duce Burgundionum cum aliis quamplurimis... At ubi, utrobique maximo collecto exercitu, ventum est ad locum vulgo nominatum Plancas Ninfeoli... (Suger. *Vie de Louis le Gros*, 15). Cf. Luchaire. *Louis VI le Gros*, n° 72.

5. Petit. *Hist. des Ducs capétiens*, t. I, p. 291.

6. Burgundiones ergo et Bituricenses, Alvernici et Senonenses, Parisiaci et Aurelianenses... aliique plures (Ord. Vital. *Hist. eccl.* XII, 17, ed. Le

tremo, augusto mense anni 1124, Henrico V Franciam invadente, cum Ludovicus VI omnes opes colligit, quintam aciem conferunt Hugo II et Willelmus, Nivernensis comes, qui vicini plerumque socius fuisse videtur[1]. Ita Burgundiones magnas partes tenuerunt ad ostendendum quantum patria valeret, quapropter hostes subito fugerunt et Franciæ rex, ut scripsit præclare Sugerius, « licet absens, triumphavit[2] ».

PRÉVOST, t. IV, p. 366).— Burgundiones, ut videtur, primi apparent. Ordericus autem dicit : Ut lupi ad prædam, avide perrexerunt, et mox ut de domibus suis egressi sunt, in suis etiam regionibus rapere quicquid poterant cœperunt. — Exercitus a Ludovico VI « de omnibus provinciis Galliæ et Flandriæ » ita collecta Normanniam invasit, Ivriacum expugnavit et incendit, deinde rediit etsi hostem non viderat (LUCHAIRE. *Louis VI le Gros* nos 260-261).

1. Quintam (aciem) Burgundionum ducis et Nivernensis comitis previam fecit (SUGER. *Vie de Louis le Gros*, 27).

2. Quo facto nostrorum modernitate nec multorum temporum antiquitate nichil clarius Francia fecit, etc... — Si Clario creditur, non ita benevolens fuit semper Hugo II erga Ludovicum VI, præsertim principio. Chronici sancti Petri vivi senonensis scriptor, cum de legatione quadam a Barcinonæ comite ad regem missa ut adversus Sarracenos auxilium obtineat, disserit, ita de legatis loquitur : Qui quærimoniam suorum civium et cumpatriotarum suorum ipsi Franciæ regi referentes, invenerunt eum variis miliciæ bellis implicitum, scilicet versus regem Anglorum, ducem Normannorum, qui contra jus et nefas denegabat facere hominium quod debebat et debet regibus Francorum : similiter et consul Pictavorum, et dux Burgundiorum, et multi alii consules qui sunt sub rege Francorum. Cum quibus omnibus, pro instante necessitate, pacem fecit supradictus rex, quibusdam inducias et treuvas dando, de quibusdam hominium debitum accipiendo (*Bibl. hist. de l'Yonne*, t. II, p. 517). At non solum illud factum ab Hugonis II regni pacifica consuetudine discrepat, sed etiam memorandum est a Sugerio esse omissum. Alioquin seditio illa, si seditio quædam evenit, brevis fuit, nam 21 mens mart. 1109 advenerunt hispanici legati, et 21 ejusdem mensis apud Plancas-Ninfeoli Burgundiæ dux inter Ludovici VI fideles se miscuit (LUCHAIRE. *Louis VI le Gros*, nos 72, 73).

CAPUT V

Qualis fuerit Ducum potestas in Burgundia medio duodecimo seculo.

I. Quo modesto animo fuerint nostri duces; de Hugone II Borello vel Pacifico. — Quibus latrociniis usi sint Matisconensis et Cabillonensis comites, propter quæ lugerent ecclesiæ et populus. — Quam incuriosi artium fuerint omnes, exceptis monachis.

II. Quam sæpe reges Franciæ Burgundiæ rerum participes facti sint, præsertim regnante Ludovico VII; quam sæpe papæ, episcopi, abbates, a regibus auxilium petiverint. — Pœnam solvit dux Odo II in litibus cum Lingonensi episcopo (Curia regis apud Moretum, 1153.) — Qua necessitate mutandum fuerit ducendi genus in Burgundia.

III. De Hugone III. — De administrandi genere Alidis de Vergeio. — Quæ acceperint et tradiderint Hugo IV et Robertus II. — Quibus pactis communiæ a ducibus nostris concessæ sint. — Concluditur.

I. Quacumque in parte primorum Burgundiæ ducum in rebus gerendis rationem dijudicanti, apparet eam usque ad annum 1142 circiter opportunam satis esse nec sine prosperis quibusdam eventibus. Nec ullum fugere potest propter justitiam benevolentiamque Hugonis I vel II, domum eorum magis in dies firmatam esse. « Pendant les quarante ans qu'il a gouverné le Duché, inquit Dom Plancher de Hugone II, il n'a troublé personne, et n'a point aussi été troublé des autres[1]. »

1. D. PLANCHER. *Hist. de Bourgogne*, t. I, p. 295.

De quo enim nihil dicendum est nisi quod fideliter regi operam dederit et studiose arbitria ceperit inter subjectos[1]; itaque pacifici laudem obtinuit, quam præclarissimam meruit[2].

Attamen forsitan illud rempublicam gerendi modestum, laxum et quasi molle genus, si diutius fuisset adhibitum, incommodum fuisse videtur, et ducum potestas esset obtrita, nisi majore studio et strenuitate ejus possessores usi essent.

Ecclesias quidem divitiis augere maximæ erat solertiæ ad eas sibi conciliandas. Sed ea ætate cum opes cunctæ in terrarum possessione sitæ essent, haud multum abfuit quin duces, semper abbatiis bona quædam donando, miserrimi ducatus facti sint nobiles. Inde maxima incommoda. Etenim propter paupertatem timeri non poterant, ducatumque latrones quidam depopulabantur. Ita Girardus ille Matisconensis, ducum Odonis II et Hugonis III æqualis, agrestis, ferus, sævus, qui semper cum vicinis bellabat, manum Brabantensium in Brixium saltum duxit pagumque ferro ignique plures annos vastavit; deinde, ibi prædatio-

1. Floriaci, Sinemuri, Castellione, etc. (Cf. PETIT, t. I, p. 278, 300, 331).

2. MCXLII. Obiit Hugo pacificus dux Burgundie (*Annales S. Benigni*). — Borellus quoque dictus est, velut pater; quod cognomen parum constat quid valeat (Hugone Borello Duce Burgundiæ. *Ex. Cartul. Eccl. Molism.*, apud DUCHESNE, *Hist. des Ducs*. Pr. p. 32. — Rotbertus, frater Ducis (Odonis) cognomendo Borel. *Chron. besuense*, p. 378) — Innocentii summi pontificis privilegium quoddam Hugonem II « virum illustrem » vocat (DE CHARMASSE, *Cartulaire de l'église d'Autun*, t. I, part. 1, Preuve 6), quæ laus non nimia videtur, siquidem legimus epistolam ab hoc duce ad Willelmum Aquitaniæ ducem scriptam anno 1131 vel 1132, in qua talibus verbis exponit quare in terram missi sint principes : « Si quis de populo deviat, solus perit : verum Principis error multos involvit et tantis obest quantis præest ipse. Nec præsumus, sicut scitis, ut perdamus, sed ut regamus subjectos. Per quem Reges regnant, ipse nos præfecit populis suis, a nobis tuendis, non subvertendis ; plane suæ ecclesiæ ministros, non dominos » (HF. XV, 557).

nibus confectis, Matisconensem episcopum et Cluniacensem abbatem aggreditur. Willelmus Cabillonensis comes, ei proximus, eodem agebat more, et Guido de Vergeio novis mœnibus castellum jam muniebat quo difficilius expugnaretur[1].

Quapropter clerici ipsi, etsi a ducibus beneficia acceperant, res improbabant querebanturque vehementer agros vastatos : « Hæc terra est, clamabat Cluniacensis abbas, cui maledixit Dominus, terra quæ difficile dictu utrum ipsa potius habitatores suos, quam a suis habitatoribus devoretur. Satis hactenus in se collisa erat, satisque detrita. Emersit nunc in ea quædam immanissima pestis, gens potius bestias repræsentans quam homines : pauca quidem numero, sed feritate immanis. Vix enim quadringenti sunt. Ii de Imperio nuper egressi fines nostros, nemine resistente, pervagantur[2] ! » Conclamat Petrus, Papiensis episcopus : « Burgundia ista inter nequam et perditos homines omnino deperit[3] ! » Populus autem, quem Dei pax non satis tegebat, terrore angebatur, misericordiam gemebundus implorans[4], injuriæque quas passus est sic memoria retentæ sunt, ut posteriore seculo dominicanus frater Stephanus de Borbone quasi ab hominum ore eas acciperet et docu-

1. Stephani, Matisconensis episcopi, *Epistola ad Ludovicum VII* (HF. XVI, 130-131). — *Fragment de la vie de Louis VII préparée par Suger*, 23-24 (ed. Molinier). — Cf. PETIT, t. III, p. 1 et sq.

2. Stephani, Cluniacensis abbatis, *Epistola ad Ludovicum* VII (HF. XVI, 131).

3. HF., XVI, 132.

4. De Augustodunensi concilio, sub Roberto I habito, in quod venit ipse dux a Sancto Hugone ductus, ita disserit Hugo monachus : Aderat illustrorum multitudo copiosa virorum, populus confluebat infinitus, pro pace supplicans indefessis clamoribus (*Vita S. Hugonis ab* HUGONE MONACHO, 7. MIGNE. P. L. t. CLIX, col. 920).

mento sint in sermonibus [1]. Juncti apud Sanctum Vincentium Matisconensem cum Lugdunensi archiepiscopo et Augustodunensi episcopo et Matisconensi et Cabillonensi, legati summi pontificis Cluniacum protegere studebant ab injuriis iteratis [2]. Quapropter ad Hugonem II scribebat papa Innocentius si permaneret status, « timendum esse ne ei imputaretur, si cum posset malum prohibere, non prohiberet [3] ».

Quæ publicæ clades Burgundiam vexaverunt dum maxime florent iterum artes. Tum nova architectura, e romana vel byzantina orta, pulchritudine eximia ornatur, omnibusque in locis Burgundiæ exsurgunt formosæ ecclesiæ quarum nonnullæ adhuc superfuerunt, scilicet Sancta Magdalena Vizeliacensis, Sanctus Philibertus Trenorciensis, Sancta Maria Belnensis, Sanctus Lazarus Augustodunensis, Sanctus Lazarus Avalensis, etc. [4]. Omni struendi genere artifices utuntur, et basilicæ et hemisphœri figura ; sed sculptores eximiam pulchritudinem adhibent et quasi naturam ipsam exprimunt in fingendis Veterum Scripturarum rebus [5].

1. *Œuvres choisies d'Étienne de Bourbon*, ed. Lecoy de La Marche, p. 373-375.

2. *Ex Chron. Cluniacense* (HF. XIV, 397).

3. PÉRARD, *Recueil de plusieurs pièces curieuses servant à l'histoire de Bourgogne*, p. 104.

4. Si doctissimo viro JULES QUICHERAT fides tribuenda est, non ante annum 1060 constituta est nova architectura quæ nunc « romane » dicitur (*Mélanges d'archéologie*, p. 125). Quod ad Burgundiam adtinet, id omnino verum est. Anno 1078, Hugo I Cluniacensibus Avallonis capellam dedit, ubi Sancti Lazari caput servatum est, et egregiam ecclesiam, quæ adhuc exstitit, monachi cœperunt conficere (BRUEL, *Recueil des Chartes de Cluny*, t. IV, p. 640. Cf. *Annuaire de l'Yonne*, ann. 1862, p. 208-211). Ceteræ romanæ ecclesiæ in Burgundia ferme eadem ætate structæ sunt.

5. Vide quod dixi de hac re in *Revue bourguignonne de l'enseignement supérieur* (t. IX, ann. 1899, fasc. 2 : *L'Art roman en Bourgogne*).

Quæ simulacra æquales nec spectaverunt nec mirati sunt : etenim majore vexantur paupertate majoribusque miseriis quam ut vel munera dare vel inaugurationes celebrare possint ; monachi sponte hæc opera perficiunt, adjuvantibus neque populo neque ducibus [1]. Statuta die, ferias agunt Sancti Benigni Divionensis monachi ; consecratur ecclesia Burgundiæ apostolo dedicata et abbatis Willelmi diligentia structa. Amplum quidem magnificumque templum : ex duabus ecclesiis superpositis constabat, quarum altera subterranea ; martyris autem corpus jacet in crypta oratorio cuidam rotundo juncta [2]. Dum in basilica adsunt fideles, assurgit subito abbas et compellat his vocibus : « Moneo etiam illum, si quis est in tota hac plebe, qui vel quinque solidos, seu quippiam ad hujus sancti martyris obtulit reædificandam muneris ecclesiam quam præ oculis habetis, coram cunctis referat [3] ».

II

Id quidem periculosum fuisse videtur quod clerici vel monachi ducibus quasi diffidebant et a rege Franciæ protectionem petebant. Henricus I et Balduinus, Philippi I nomine regni pro-

1. Aliter egerunt Burgundiæ et Normanniæ duces, siquidem hi monachis argentum materiamque tribuebant ut ecclesias struerent ; etenim Robertus I et successores nullius unquam ecclesiæ nisi minima parte Sanctæ Mariæ Belnensis et Sancti Lazari Avalonis instaurationi subvenerunt.

2. *Chron. Benigni*, p. 139 sq. Cf. CHOMTON, *Histoire de l'église Saint-Bénigne de Dijon*, p. 95 sq.

3. ROD. GLABER. *Vita Guillelmi*, 25.

curator, jam venerant in Burgundiam septentrionalem cum exercitu ad pacem restituendam[1]. Immo reges jus confirmandi episcopos electos[2] præcipuorumque monasteriorum privilegia retinuerant[3]; contra quam episcopi adesse solebant

1. Ita intelligenda sunt, ut quidem mihi videtur, duo documenta annorum 1040 et 1060: 1° Rex Henricus, cum maximo exercitu veniens Burgundiam... (*Gesta Pontif. autis. Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 392). 2° Illud etiam referre honorificum est de Balduino Flandrensi Comite, qui cum militari usu Philippo Regi Francorum, utpote Palatinus Comes, deserviret, ad retundendam superbiam quorumdam, qui in partibus Galliæ et Burgundiæ præfato Regi repugnare cupientes, adversus eum servili ferocitate rebellare contendebant. Ad quorum convincendam rebellionem prædictus Comes accitus, cum apparatu Flandrensis militiæ optima terræ peragrat opida, villasque depopulat (*Ex miraculis S. Agilii*. H. F. XI, 479). — Hæc ultima verba quidem sunt obscura, et spectant fortasse ad quemdam rebellionem pagorum Burgundiæ ducatui adjacentium, Franciæ regi autem pertinentium. Utcumque res est, dubium est num Burgundiæ dux adversus regem rebellaret.

2. Quod apparet, si quomodo electi sint Autissiodorenses episcopi consideras. — Anno 1040 episcopus est ille Heribertus « quem antecessor ejus Hugo in pontificatum elegit, cui postmodum rex Henricus... episcopatum ex more dedit... duce Burgundie Roberto, qui in tempore adhuc suo Autissiodoro civitati inperitabat. » Postquam Heribertus in Sancto Salvatore senonensi anno 1052 secessit, eodem modo ei Godfridus successit, sicut nos docet Gestorum pontificum autissiodorensium scriptor: Hunc (Gotfridum) in palatio suo clericum habens honestum Philippi pater, rex Henricus, operante quidem divina Clementia, tota quoque nostra collaudante ecclesia, indulsit nobis præsulem necessarium sane, utilemque per omnia (*Bibl. hist. de l'Yonne*, t. I, p. 392-393, 398, 406 etc.). Cf. Lebeuf, *Mémoires concernant l'hist. eccl. et civile d'Auxerre*, p. 240 sq. Vide etiam: *Epistola decani Augustodunique ecclesiæ ad Sugerium* (H. F. XV, 487).

3. Vide apud Chifflet, *Hist. de Tournus*, Pr. p. 312, 326, 332 quædam diplomata Henrici I et Philippi I, Franciæ regum, quibus Trenorciensis abbatiæ privilegia confirmantur, atque apud D. Plancher, t. I, Pr. 51, approbationem a Ludovico VI factam quod Hugo II Augustodunensi ecclesiæ Avallonis ecclesiam restituerat. — Præcipue verba notanda sunt quibus Ludovicus VI de Cluniaco utitur: Notum fieri volumus cunctis fidelibus... quod nos... monasterium Cluniacense, nobilius membrum nostri regni, cum omnibus prioratibus, possessionibus et pertinentiis suis in regno nostro constitutis, in nostra et successorum nostrorum regum Francie defensione, garda et tutela recipimus (Bruel, *Recueil des Chartes de Cluny*, t. V, p. 296, n° 3943). Sed ejusdem Ludovici regis vide etiam permulta pro Burgundiæ monasteriis vel ecclesiis privilegia apud Quantin, *Cartulaire général de l'Yonne*, t. I, p. 213, 226, 235, 236, 262, 288.

cum sacrarentur reges [1]. Quapropter Ludovicus VII rebus ducatus se immiscuit præter solitum.

A regno incipiente, rex ille persæpe in Burgundia sistit [2] privilegiaque Trenorciensis abbatiæ vel Sancti Benigni Divionensis firmat [3], non opportunitatis sed juris causa. « Ad regiam dignitatem spectat officium, scribit, Ecclesiarum libertatem integre conservare et earum fortiter possessiones ac jura pia protectione tueri [4]. » Eadem tempestate qua talia declarat, Nivernensis comes Vizeliacum et Matisconensis Cabillonensisque comites Cluniacum armis aggrediuntur; itaque ab ecclesiis Burgundiæ rex vocatur ejusque auxilium frequenter petitur. — Eugenius III ab eo ad Burgundiam servandam industriæ studium rogat, « quoniam per excellentiorem ac devotiorem ecclesiæ fidelem ac defensorem non potest [5] ». Matisconensis autem episcopus et Cabillonensis quasi in ditionem dant episcopales suas urbes [6],

1. Inter nomina episcoporum, qui coronationi Philippi I adfuerunt, leguntur nomina Aganonis Augustodunensis episcopi, Harduini Lingonensis episcopi, Accardi Cabillonensis episcopi, Hugonis Nivernensis episcopi, Godfridi Autissiodorensis episcopi (H. F. XI, 32, 33).

2. In his Burgundiæ locis sedet Ludovicus VII :
1133, avant le 3 avril, Auxerre, Autun, Langres,
1146, 31 mars, Vézelay,
1147, entre le 18 février et le 30 mars, Autun,
1147, 30-31 mars, Dijon,
1162, 29 août, Saint-Jean-de-Losne,
1162, 22 sept. id. (LUCHAIRE, *Actes de Louis VII*, p. 62 sq.).

3. CHIFFLET, *Hist. de Tournus*. Preuves, p. 445; PÉRARD, *Recueil*, p. 232; *Ann. S. Benigni* MCXLVII. — Cf. LUCHAIRE, *Etudes sur les Actes de Louis VII*, nos 187, 199.

4. CHIFFLET, *Hist. de Tournus*, Preuves, p. 445.

5. H. F, XV, 432. Ibid. 477.

6. Rogamus ut duos de vestris, quorum alter in episcopio, alter in quadam villa nostra ad tutelam ponatur, huc transmittere dignemini, qui et rerum nostrarum et *civitatis vestræ* curam habeant... De cætero, aude-

Cluniacensisque abbas Burgundiam universam : « Non sola Francia de regno vestro est, licet sibi nomen Regis specialius retinuerit. Est et Burgundia vestra. Nihil magis illi quam isti debetis. Illa, quoniam sibi vicinior estis, tanto majori gaudet otio, quanto pace longiore lætatur [1]. »

Tam frequenter Ludovicus VII a Burgundionibus rogatus et tanquam unica spes conclamatus est [2], ut tandem se Dei gratia salvatorem haberi censuerit et turbatum esse ducatum quod per centum et quinquaginta annos aut non multo secus, a Burgundiæ rebus abstinuissent reges [3]. Ex his verbis facile apparet quanto in periculo essent ducatus libertates ducumque auctoritas, sed clarius patet de Lingonensi episcopatu.

Jamdiu Burgundiæ duces episcoporum Lingonensium nimiam potestatem sibi incommodam

mus consulere ut aliquos de episcopis vel proceribus vestris ad partes istas dirigatis, qui et ecclesiis quæ pene desolatæ sunt, et terræ quæ deserta est, consulant et provideant, convocent barones, pacemque reforment. (Stephani, *Matisconensis episcopi, Epist. ad Ludov. VII.* H. F. XVI, 132.) — *Ecclesiam vestram Cabillonensem* graviter afflictam (Petri, *Cabillonensis episcopi, Epist. ad Ludov. VII.* H. F. XVI, 154.)

1. H. F. XVI, 130-131.

2. Spem in alium non habemus, nisi in vos, qui totis precibus flagitamus ut periculum nostrum quod instat relevare citius satagatis (*Epistola matisconensis Capituli ad Ludov. VII.* H. F. XVI, 133).

3. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, per longam Regum absentiam, sine disciplina et fræno justi regiminis longo tempore dissoluta fuit terra Burgundiæ, et illis qui in terra erant alicujus potentiæ licuit impugnare, et inter se decertare, et pauperes opprimere et ecclesiarum bona vastare. Nos propter tantam indignati malitiam, et zelo Dei commoti, terram Burgundiæ cum copiis nostris [intravimus] obtentu faciendi vindictas, et reformandi pacem in patria (*Gallia christ.*, t. IV, Preuves, col. 287).—Hæc epistola anno 1166 scripta est, et documenta, quibus supra usus sum in hoc capite, inter Odonis II mortem (1162) et annum 1166 sita sunt. Quapropter maximæ sunt fidei ut Burgundiæ ducatus habitum, medio duodecimo seculo, describamus.

censuerant; qui Divionem urbem in spirituali dominio tenebant permultaque castra in Lingonensi diœcesi et Augustodunensi et Bisuntinensi [1]. Itaque cum eligerentur episcopi, episcopatum illum metuendum fidelibus vel consanguineis tradere studuerunt. Quod et fecit Robertus Pius Lambertum designando ut Brunonis locum occuparet [2], Hugonemque in Lamberti locum. Rex primo clericum quemdam, Richardum nomine, elegerat, disciplina et moribus insignem, sed clericis et fidelibus invisum qui, quinque mensibus completis, expulsus est et veneno, ut videtur, interiit. A Constantia regina incitatus elegit Robertus Hugonem in Carnotensi diœcesi olim presbyterum, eique dedit filium suum Henricum ut in Lingonensem ecclesiam duceretur [3]; quem episcopum, « in Dei domo utile vas » superbia nisi peccavisset, Leo IX papa in Remensi concilio propter crudelitatem deposuit [4]. His vestigiis plerique duces institerunt, siquidem Lingonensem episcopatum ea ætate tenuerunt duo principes Burgundiæ domus, qui fuerunt Robertus, Odonis I frater, et Hugonis II filius Galterius [5].

1. Divionensis episcopatus anno 1731 tantum creatus est. — De episcoporum Lingonensium potestate, undecimo seculo ineunte, vide Paschalis II bullam jam. cit. (*Gallia Christ*, t. I, p. 153.) — Cf. Pfister. o. c., 250-251.

2. *Vita Garnerii*, apud Pérard, p. 127.

3. In ipso anno defunctus est Domnus Lambertus Lingonum Episcopus... In cuius locum substituit Rotbertus rex Episcopum Richardum.... Rex autem consiliis regine ad iram animo, iterum dedit Episcopatum cuidam clerico Carnotensis Ecclesie. Hugo hic erat dictus (*Chron. Benigni*, p. 178-179).

4. *Chron. Benigni*, p. 179.

5. Dimisit episcopatum Godefridus, et Galnerus (pro Galterio) filius Hugonis ducis episcopus factus est (*Annales S. Benigni*, MCLXIII). — Cf. *supra*, p. 65 et *Gallia christ.*, IV, 583.

Attamen duces Burgundiæ, quamvis omni ope inniterentur, inceptum semper non implebant, ut medio duodecimo seculo Lingonensis episcopus Burgundiæ ducem pro hoste obstinato haberet[1]. Qua rivalitate usus est Ludovicus VII, nam cum regnum vix teneret, primis mensibus anni 1138, Lingonas adiit, et « tanquam propria sede honorifice susceptus », totius patriæ hominia et fidelitates accepit[2]. Paulo post, cum episcopo vacaret civitas et turbaretur, duo petitores in vicem electi sunt, alter Cluniacensis monachus, alter Cisterciensis, Godefridus, qui cum Sancto Bernardo adfinitate conjunctus erat. Vehementer ille, ut consueverat, in certaminis partem venit, ab Innocentio II papa auxilium epistulis petivit et postremo a rege Franciæ cum maxima audacia[3]: Cluniacensem monachum electum esse, jure canonico transgresso, contendebat, et ideo esse rejiciendum. Itaque Godefridus præpositus est, et posthac auctoritate regis innixus, acriter injurias quasdam questus est a duce Burgundiæ Odone II illatas. Quas lites coram curia Moreti collecta

1. « Le duc de Bourgogne pouvait être considéré comme l'ennemi permanent de l'évêque de Langres ». LUCHAIRE. *Hist. des Inst. monarchiques de la France sous les premiers Capétiens*, t. II, p. 287

2. Ad superiores ducatus Burgundionum marchias, que regno Lotharingorum collimitant, videlicet Lingonensium civitatem, accedere festinanter cum persuadentes... festinantes itaque per pagum Eduensium, Lingonensi urbe *tanquam propria sede* susceptus honorifice, hominiis et fidelitatibus totius patrie susceptis, cum comite Theobaldo nobisque ibi asistentibus, precipiendo et imperando omnibus, Parisius remeavit (*Vie de Louis VII préparée par* SUGER, 5, ed. Molinier).

3. *Terra vestra est*, et in hoc plane cognoscimus, et dolemus dedecus regni vestri, quod vos jure abhorrere mandastis, si non fuerit qui defendat. Nam in quo alio regia majestas recte, in eo quod factum est, imminuta dicatur? Electio rite celebrata est, *electus fidelis est Non autem esset fidelis si vestra et non per vos habere vellet. Necdum ad vestra manum extendit, nec eum in civitatem vestram ingressus est* (HF. XV, 572).

vocavit Ludovicus VII, et postquam aliquot dies vehementer disputatum est, sententiam rex dixit duci adversam [1].

Quo factum est ut, viginti et quinque annis postea, anno 1179 vel 1180, Franciæ rex a filio Philippo, qui olim Philippus Augustus vocabitur, adjutus, ob clericorum populique Lingonensis fidelitatem, suo nomine et successorum, neque Lingonum civitatem nec terras ad episcopatum pertinentes e regio dominio unquam decessuros esse promisit [2]. Ita civitas illa, quæ Burgundiæ fortunam ab ultima antiquitate semper secuta erat, alienata est, Lingonensem episcopatum tenente Galterio, qui e ducali domo ortus erat [3] !

Quia sine intermissione Franciæ reges Burgundiæ res curabant, quod rursus evenit in litibus

1. Sententia, quam Franciæ rex tulit, talibus verbis est scripta : Ego Ludovicus Dei gratia Rex Francorum et Dux. Regiæ sublimitatis est officium eos qui justitiam subterfugiunt humiliare, subditos et obedientes exaltare et eisdem ad integrum conservare jus suum. Notum igitur fieri volumus tam præsentibus quam futuris qualiter Godefridus Lingonensis Episcopus et Odo Dux Burgundiæ in curia nostra placitaverint et ad quem finem res perducta fuerit... His de causis judicio curiæ abjudicavimus Ducis querelas suas, Episcopos suas reddi debere judicavimus (D. Plancher, t. I. Preuves, 72). Cf. HF. XV, 674. *Epist. papæ Adriani IV* ad Godefridum, Lingonensem episcopum, qua sententiam Ludovici VII firmat. Sedit Ludovicus VII apud Moretum ab 19 mensis april. 1153 ad 3 april. 1154 (Luchaire. *Études sur les Actes de Louis VII*, n° 296).

2. *Gallia christiana*, t. IV, p. 188. Cf. Luchaire. *Études sur les Actes de Louis VII*, n° 765.

3. Gundobaldus, cum Burgundiæ regnum constituit, Lingonum urbem amplexus est (Greg. Turon. *Hist. Franc.* II, 23, 32, ed. Arndt), sed Romanorum tempore, in Lugdunensi prima jam civitates Æduorum et Lingonum inclusæ erant (*Notitia provinciarum et civitatum Galliarum*, ed. Longnon, p. 13). Dum viguit Francorum regnum, viguit et conjunctio ; Burgundia ut antea constituta erat e civitatibus Æduorum et Lingonum, sic episcopatus continuit Lingonensem et Augustodunensem (J. Garnier. *Chartes bourguignonnes des* IXe, X^e^, XIe *siècles*, p. 47-48). Magna pars igitur antiquæ Burgundiæ distracta fuit medio duodecimo seculo.

inter Henricum, Augustodunensem episcopum, et abbates Flaviniacenses et Vizeliacenses [1], ducum auctoritas vacillare cœpit. Etenim vassalli, timore vacui, jam deficere et officia negare ausi sunt : in primis dominus de Vergeio et Nivernensis comes hominium abnuere [2]. Itaque Roberti I successores, nisi, ut ita dicam, cœci, periculum cernere non poterant, instantem licentiam vassallorum præcipuorum timere, nimiamque clericorum libertatem propter quod regum potestas præter Ararim mirifice crescebat [3].

Primus Odo II contra illam regendi ignaviam obstare nisus est, nec omitti potest quomodo castrum Flaviniacum capere studuerit [4] et quam feliciter ei evenerit cum regni principio, acceperit apud Angutinam in Campaniæ finibus inter Castellionem et Pothieras sitam, Campaniæ comitis hominium, quod quidem ad Trecensem comitatum adtinet [5]. Nihilominus firmata jam gente, tum

1. D. Plancher, t. I. Pr. 51. Cf. Petit, t. II, p. 132.

2. Cf. infra, pag. 101-102 atque notas.

3. Quomodo simul augeretur regum potestas et clericorum, animadvertit Luchaire quibusdam præclaris verbis (*Hist. des Inst. mon. de la France sous les premiers Capétiens*, t. II, p. 286; *Louis le Gros.*, Introd., p. CVIII). Cf. Seignobos, *Le Régime féodal en Bourgogne*, p. 168.— Notandum est capetianæ stirpis duces ita Carolinorum regum vel imperatorum vestigiis tantum insistere, et præsertim Caroli Calvi postremique Lotharii (Vide caput I et Lot, *Les derniers Carolingiens*, p. 115).

4. Ad regiam postulationem tuam, nobilem virum Odonem Burgundiæ Ducem attente rogavimus atque mandavimus ut castrum Flaviniacum, quod illicite usurpavit et detinet per violentiam occupatum, tuæ celsitudini vel Eduensi episcopo resignet (*Epist. Alexandri II ad Ludovicum VII*, 22 sept. 1162, HF. XV, 785-786).

5. Notum sit omnibus hominibus, tam futuris quam præsentibus, quod comes Theobaldus Blesensium, Odoni Duci Burgundiæ apud Angutinam fecit hominium, et cognovit, quatinus Abbatia sancti Germani Autissiodorensis de feodo Ducis erat et tenebat...., et comitatus Trecarum totus, et ipsas Trecas de feodo Ducis tenebat (Pérard, *Recueil*, p. 227, ann. 1143).

mutandum erat ducendi genus, tum firmanda auctoritas, tum augenda potentia et acquirendæ possessiones quarum erat inopia. Quod, ut infra breve monstratur et ita concludetur, effecerunt magni duces, Hugo III, Odo III, Hugo IV, Robertus II et mulier quædam Alidis de Vergeio, quæ sine injuria omitti nequit.

III

Hugo III, Odonis II filius et heres, ut majores pietatis fervore insignis erat. Anno 1171 cum ad Terram Sanctam, nonnullis comitantibus, pergeret, in Interno mari horrida procella coactus est in Franciam regredi. Ut Providentiæ gratias ageret quod incolumem se servavisset illa, Sanctam Capellam divionensis palatii struxit[1]. Ille tamen non tam facilem se præbuit quam prædecessores, quod experti sunt rex et subjecti. Etenim regiis copiis quæ venerant in Burgundiam ab episcopis vocatæ, milites suos junxit, comitisque Cabillonensis Willelmi II exercitum fudit fugavitque[2]; deinde propriis opibus Nivernensem comitem debellavit quem ad gravem pactionem coegit[3]. At

1. D'Arbaumont, *Essai sur la Sainte-Chapelle de Dijon*, p. 65, 167-168 (*Mémoires de la Commission des Antiquités de la Côte-d'Or*, t. VI).

2. *Hist. Vizel. ab* Hugone Pictavino, lib. IV (Migne, P. L. t. CXCIV, col. 1678). — *Fragment de la vie de Louis VII* préparée par Suger, 23, ed. Molinier.

3. Ego si quidem Guido Comes Nivernensis, in hominium Ducis veni; et ego Hugo dux, in dominium redii, sicut feoda mea requirunt, quæ Comes pro patre suo, et pro uxore sua de me tenere debet. Hoc autem dicimus, quamquam pro feodo uxoris suæ *Comes de feodo homo meus*

post annum 1180 citius progressus est quam ut fortunam obtineret, nam Mariæ de Campania, matris suæ, prudentia non adjutus, nec veteris regis Ludovici VII timore retentus, societatem cum nobilibus adversus Philippum Augustum composuit[1]; qui ut ulcisceretur, cum Hugone de Vergeio amicitiam fecit, nec longe abfuit quin potentis illius vassalli hominium, Franciæ regi allatum, a Burgundiæ duce abalienaretur in perpetuum[2].

Hugo III tamen ducatus fines primum protulit, dum Willelmus II Cabillonensis comitatus dimidium ei cedit[3]; at Alidis de Vergeio, Odonis III vidua minoremque filium Hugonem IV in tutela tenens, quod prudenter et parce ærarium gessit, ducum potentiam et possessiones præsertim auxit.

Anno 1225 de Viennensi Delphino aliquas partes Cabillonensis vel Belnensis territorii pro tribus millibus et trecentis marcis argenteis emit[4]. Eodem anno, cum turbaretur Burgundiæ comitatus et Salinensis domus domesticis controversiis divideretur, apud Salinas dominium nonnullasque de Burgundiæ comitibus terras acquisivit[5]. Cujus

ligius erit, salva ligitate domini Regis. Et si forte feoda in hæredes dividerentur, qui terram matris haberet, ligius esset (PÉRARD, *Recueil*, p. 247, ann. 1174).

1. *Ex Chron. S. Mariani autiss.* (H. F. XVIII, p. 250).

2. Hugo de Vergeio « regi hominium fecit sub attestatione jurisjurandi, et successoribus suis perpetuam fidelitatem juravit » ut auxilio frueretur, sed Philippus Augustus, cum Hugonem III debellavit, socium suum reliquit (RIGORD, *Vita Philippi Augusti*, p. 48-49, ed. Delaborde. Cf. *Ex Chron. S. Mariani autis.* H. F. XVIII, p. 251 et sq.).

3. *Hist. Vizel.*, loc. cit.; *Fragment de la vie de Louis VII*, loc. cit.

4. D. PLANCHER, t. II, p. 2, et Pr. 16; PÉRARD, *Recueil*, p. 410. — Cf. DUCHESNE, *Histoire des daufins du Viennois*, p. 21 et Pr., p. 14-15.

5. PETIT, t. IV, p. 24 et sq.

vestigiis institerunt successores, et opus auxerunt propriis modis. Etenim cum Hugo III Divionensibus anno 1187 communiæ chartam vendidisset quæ, Odone III regnante, ad summum scripta est[1], pleræque ducatus urbes immunitates acceperunt, data pecunia : Avallo (1194 vel 1200), Belna (1203), Chamons apud Castellionem (1213), Talentum (1216), Latona (1220), Mons Barrus (1231), Argilleyum (1234), Cabillonum (1256), etc...[2] Unde maximæ facultates, etiam a Judæorum tributis auctæ[3]. Quapropter Hugo IV atque Robertus II fere quotannis emptiones fecerunt, quarum indicia in Burgundiæ Commentariis etiamnunc reperiuntur[4].

Tum minor clericorum licentia[5], magis obedientes vassalli. Tertiodecimo seculo exeunte, in primo feudorum codice permulti seniores a duce castra cum pertinentiis se accepisse declarant, hominiumque dux recipit sine bello, quoties-

1. Sciendum etiam quod pro permissione hujus communiæ reddent mihi vel preposito meo homines mei de hac communia annuatim quingentas marcas talis argentei quale cambitores in nundinis inter se dant et recipiunt, reddendas apud Divionem in die Martis ante Ramos Palmarum, vel in sabbato magno Pasche apud Barrum (*Charta communiæ divionensis*, tit. XLV, apud GARNIER, *Chartes de communes et d'affranchissement en Bourgogne*, t. I, p. 13).

2. GARNIER. *Chartes de communes et d'affranchissement en Bourgogne*, t. I-II. — Burgundiæ duces communiis libertates vendunt, sive pecunia, sive mercibus, sive potius tributo annuali. Belnenses duci vel ejus prepositо ducentas marcas annuatim debent, quas dabunt die festo omnium sanctorum et Pasche sollemnibus (tit. XL. GARNIER, I, 212) ; Mons Barrus 50 marcis exsolvit (tit. XXXIX. GARNIER, II, 101) ; Argilleyum 15 solidis (GARNIER. II, 141) etc....

3. V. SIMONNET, *Les Juifs en Bourgogne*, p. 151 et sq. (*Mémoires de l'Académie de Dijon*, ann. 1865).

4. *Archives départ. de la Côte-d'Or*, B. 10423. Cf. D. PLANCHER, t. II, p. 25-26, et PETIT, t. IV, p. 63, t. VI, p. 206.

5. De ducum inceptis adversus abbatias, vide DE CHARMASSE, *Cartulaire d'Autun*, t. I, Introd., p. XIII-XIV.

cumque instauratur vel res postulat. Non opus est vassallos bello cogere vel etiam litteris evocare ut statius advolent ad præbendum hominium : accurrunt in curiam ipsi vassalli ad concionem non vocati [1].

Illo tamen tempore, ducatus in magno periculo versabatur : si non dignitas, at certe ducum possessiones dividi poterant. Ut ex Hugonis IV testamento constat, patrimonium quoddam videtur esse quod pueris tradit dux ut paterfamilias agros villasque tradere solet [2].

Pravum esse illum habendi modum intellexit Robertus II, divisiones periculum Burgundiæ intendere ducibusque potentiæ imminutionem. Quapropter in jus publicum Burgundionum tam eximia præscripta introduxit ut nunc maxima laus ei tribuenda sit. Etenim in testamento, mense martis anni 1297, quatuor codicillis postea firmato, maximam possessionum partem a ducali dignitate sejungi non posse statuit [3].

Denique etsi Burgundiæ urbes magnas libertates

1. D. Plancher, t. II, p. 56, 306-307; Pérard, p. 503. Cf. Seignobos. *Le Régime féodal*, p. 96 sq.

2. Universis presentes litteras inspecturis... salutem. Noveritis quod nos predicti fratres inter nos convenimus et eciam volumus et concedimus pro bono pacis, vere dilectionis ac concordie inter nos perpetuo retinende quod illustris vir Hugo Dux Burgondie pater noster habeat liberam et absolutam potestatem patrimonium suum seu hereditatem suam et bona mobilia sua immobilia, qualicumque et quocumque nomine censeantur, dividendi seu dividendo ordinandi inter nos et alios liberos suos, prout voluerit et sibi placuerit, et cuilibet nostrum et cuilibet ex aliis liberis divisam portionem bonorum suorum predictorum, prout sibi placuerit, assignandi seu de assignando ordinandi (D. Plancher, t. II, Pr. 69. *Consentement donné au testament de Hugues Duc de Bourgogne, par ses enfans Eudes, Jean et Robert, ann.* 1265). — Illud documentum præclarissime explicavit Seignobos, op. cit., p. 164 et sq.

3. D. Plancher, t. II, Pr. 145; p. 309, note iv. Cf. Ibid., p. 110, 119, 131.

habebant, ducum tamen potentia non minuebatur, nam præpositi vel ballivi ubique constituebantur, ut maiorum vel scabinorum acta observarent [1]; quod non prohibuit Burgundiones quin maxime opibus florerent cum mercatores artificesque magis in dies lucrarentur hominumque esset multitudo [2]. Itaque Burgundia nova si componitur cum Burgundia illa pristina quam tribus seculis antea accepit Robertus I, haud immerito Hugoni III, Alidi de Vergeio, Hugoni IV vel Roberto II, quod prudentia et strenuitate ducatum auxerint, maximæ tribuendæ sunt laudes. Num per injuriam omitti possunt superiores duces, qui modestia vel comitate in Burgundiæ rebus gerendis hanc prosperitatem paraverunt ?

1. Garnier, *Chartes de communes et d'affranchissement en Bourgogne*, t. I, p. 316, n. 1. Cf. Seignobos, o. c. p. 14-16.

2. J. Garnier, *La Recherche des feux en Bourgogne aux* XIVe *et* XVe *siècles*, p. 4 (1 vol., Dijon, 1876).

INDEX NOMINUM

A

ACCARDUS, Cabillonensis episcopus. Concilii Augustodunensis particeps, 68; — Philippi I coronationi adest, 94 n. 4.

ADALGARIUS, Eduensis episcopus. Caroli Calvi missus, 11 n. 6.

AGANO, Eduensis episcopus. A Roberto I duce vexatus, 62; — Philippi I coronationi adest, 94 n. 4.

AGOBARDUS, Lugdunensis archiepiscopus, 5, 8.

ALFONSUS VI, Hispaniarum rex. Constantiam de Burgundia uxorem ducit, 57; — Odonem I recipit, 53; — Cluniacensibus monachis fœdere jungitur, 78.

ALIDIS DE VERGEIO, Burgundiæ ducissa, Odonis III vidua; ducatum augere incipit, 102.

Altavilla (Hauteville. Côte-d'Or), 35.

ANSELMUS, Cantuariensis archiepiscopus. A duce Odone I aggressus, dum Burgundiam transit, 68.

Aquatovilla (Ahuy. Côte-d'Or), 35.

AREMBURG DE VERGIACO, Dalmatii de Sinemuro uxor, Roberti I ducis socrus, 33.

Argentoilum (Argenteuil. Yonne). Ibi Richardus Justificator Nortmannos vincit, 17.

Argiliacus, villa (Argilly. Côte-d'Or), 83 n. 3.

ASCELINUS DE CASTELCENSORIO, Burgundiæ ducis vassallus, crucesignatus, 79.

Asneriæ, villa (Asnières. Côte-d'Or), 35.

Attoariorum pagus, 8, 34.

Augustodunensis comitatus, 8; — Richardo Justificatori datus, 17.

Augustodunensis ecclesia. Immunitates quasdam a Carolo Calvo accipit, 11. — Sancti Lazari basilica, 92.

Augustodunum civitas, 10; — ibi pacis conventus, 52; — ibi concilium, 68.

Autissiodorensis pagus, 8.

Autissiodorum civitas. A regiis copiis obsessa, 21; — ibi pauperes a Roberto Pio alimentum accipiunt, 30; — Burgundiæ caput nunquam fuit, 38 n. 1.

Autissiodorensis abbatia Sancti Germani. A Nortmannis incensa, 13; — a Theobaldo, Cabillonensi comite, expugnata, 80.

Avalensis pagus, vel **comitatus**, 8; — a Roberti Pii filiis vastatus, 27.

Avalo urbs, vel **Avalense castrum.** A regiis copiis obsessa, 21; — a Roberto, Roberti Pii filio, expugnata, 22; — ibi pauperes a Roberto Pio alimentum accipiunt, 30; — curia ducis, 82; — ducis Burgundiæ castrum, 82 n. 4; — chartam communiæ accipit, 103. — Sancti Lazari ecclesia, 92, 93 n. 1.

B

Belnensis pagus vel **comitatus**, 8, 27, 51.

Belnum vel **Belna**. A Roberto, Roberti Pii filio, obsessum, 22; — curia ducis, 82; — Sanctæ Mariæ ecclesia, 92, 93 n. 1; — chartam communiæ accipit, 103.

Sanctus BERNARDUS, Clarevallensis abbas. Vizeliaci prædicatur, 54; — cum Mathilda ducissa epistolarum commercium habet, 61; — Godfrido, Lingonensem episcopatum petenti, favet, 98.

BERTILO, abbas Sancti Benigni Divionensis; a Nortmannis occisus, 12.

Besuensis abbatia. A Nortmannis incensa, 13; — a Willelmo abbate reformata, 49; — quibusdam tributis ab Hugone I duce liberata, 59. — Ejus chronicon, 2 et n. 3, 74.

Blaselum castrum (Blaisy-Haut. Côte-d'Or), 76.

BOSO, Burgundiæ rex, 14; — quatenus pateat regnum ejus, 15; — trans Lugdunum recedit, 17.

Brisconum, villa (Brochon. Côte-d'Or), 35.

BRUNO, Lingonensis episcopus. Roberti Pii adversarius, 21; — Divionensis comitatus possessor, 37 et n. 1; — abbati Willelmo omnia diœcesis monasteria reformanda tribuit, 49.

C

Cabillonensis comitatus, 51. Hunc dividit Ludovicus VII inter Hugonem III et Nivernensem comitem, 101.

Cabillonum urbs. Chartam communiæ accipit, 103.

Camboium, villa (Chambœuf. Côte-d'Or), 35.

CARLOMANNUS, Caroli Calvi filius, Reomai monasterii abbas, 11.

CARLOMANNUS, Ludovici Balbi filius. In Gundulfi villa Burgundiam sortitur, 17; — de Nortmannorum audacia, eo defuncto, 12.

CAROLUS CALVUS, occidentalis Franciæ rex et imperator. Comitatus et missatica in Burgundia constituit, 8-9; — a Nortmannis regnum tegit, 10; — beneficiis ornat Burgundiæ ecclesias vel monasteria, 11; — quare Burgundionibus faverit, 11 n. 6.

CAROLUS CRASSUS, imperator. Burgundiam Nortmannis vastandam tradit, 12.

Castellion castrum (Châtillon-sur-Seine). Curia ducis, 82; — chartam communiæ accipit, 103.

Cisterciensis abbatia. Quomodo creata, 59; — ejus oratorium consecratum, 60; — quomodo ei faverunt Burgundiæ duces primæ gentis, 61; — ibi duces sepulti, 62.

Cluniacensis abbatia. Quomodo creata, 47-48; — ejus opes cupiditatem movent, 50, 77; — vastata præsertim a Matisconensi comite, 77 n. 1, 91.

CONSTANTIA ARELATENSIS, Franciæ regina; — Roberti I, Burgundiæ ducis, mater, 22.

CONSTANTIA, Roberti I ducis filia; cum Alfonso VI, Hispaniarum rege, connubio jungitur, 57.

Curtis Arnonis, villa (Couternon. Côte-d'Or), 9.

D

DALMATIUS DE SINEMURO, Roberti I ducis socer, 33; — quomodo a genero occisus, 69, 70 et n. 2.
Darilla, villa (Darois. Côte-d'Or), 35.
Dervense monasterium (Montiérender. Haute-Marne), 30.
Distum, villa (Daix. (Côte-d'Or), 34.
Divionense castrum. A rege Roberto obsessum, 21; — ibi pauperes a Roberto Pio alimentum accipiunt, 30; — mœnibus circumducitur firmissimis, 35 et n. 1; — refugium sacrarum reliquiarum, Nortmannis sævientibus, 36; — Burgundiæ caput, 38, 82; — chartam communiæ accipit, 103; — Sancti Vincentii ecclesia, 26.
Divionensis abbatia Sancti Benigni. Ab Isaac, Lingonensi episcopo, restaurata, 10; — Bertilone abbate, rursus in dies magis labitur, 12; — a Nortmannis obsessa, 12; — a Roberto Pio oppugnata, 26; — ab abbate Willelmo reformata, 49; — ibi duces imperium accipiunt, 38; — privilegia ab Hugone I firmata, 58; — eam Roberti I officiales persæpe aggrediuntur, 62; — a regibus protecta, 94. — Ejus ecclesia solemniter consecrata, 93; — ejus chronicon, 2 et n. 3.
Divionensis pagus vel **comitatus**, 8, 34, 51. — Lingonensium episcoporum quondam possessio, 36; — a Roberto Pio acquisitus, 37.
DROGO, Matisconensis episcopus. Concilii Augustodunensis particeps, 68.
Duesmensis pagus vel **comitatus** (Duesmois), 8.
Duismense castrum (Duesme. Côte-d'Or), 77 n. 1.
Dusmisus, villa (Dômois. Côte-d'Or), 34.

E

Elariacus, villa (Larrey, près de Dijon), mulierum monasterium, 59.
EUGENIUS III, papa, 66.

F

FERDINANDUS, rex Hispaniarum, Cluniacensibus sociatur, 78.
Firmitas (La Ferté. Saône-et-Loire), Cisterciensis abbatia, 60.
Fischinum, villa (Fixin. Côte-d'Or), 35.
Flaviniacense monasterium (Flavigny) 11; — castrum, 100.
Floriacus, villa (Fleurey-sur-Ouche. Côte-d'Or), 69.
FLORINA, Odonis I ducis dicta falso filia, 58 et n. 1.
Fontanetum (Fontenay. Côte-d'Or). Cisterciensis abbatia, 60.

G

GIBUINUS, Hugonis II de Bellomonte, comitis Divionensis, filius, 39.
GIRARDUS, Matisconensis comes; ejus prædationes, 90.
GISELBERTUS, Burgundiæ dux, 19.

GODFRIDUS DE DUNZIACO, Cabillonensis comes ; Burgundiæ ducis vassallus, crucesignatus, 79.
GODFRIDUS, Lingonensis episcopus electus, 98; — ante regem vocatur, 99.
Grancelum (Grancey. Côte-d'Or), villa, 35; — castrum, 76.
GREGORIUS VII, papa. Hugonem Cluniacensem abbatem vituperat quod Hugonem I, Burgundiæ ducem, monachum acceperit, 63.
Grinon castrum, 76.
GUIDO DE BURGUNDIA, Viennæ archiepiscopus; cuidam pacis conventui adest, 52.
GUIDO DE VERGEIO, 91.
GUILLELMUS. Vide WILLELMUS.
Gurgelum castrum (Gurgy), 76.

H

HARDUINUS, Lingonensis episcopus. Robertum I timet, 62 n. 3; — Philippi I regis coronationi adest, 94 n. 4.
HELIA DE SINEMURO, Burgundiæ ducissa, Roberti I uxor, 33, 41; — a marito repudiata? 69.
HELIA DE BURGUNDIA, Odonis I ducis filia; Bertramno, Tolosano comiti, matrimonio jungitur, 43 et n 2.
HENRICUS, Burgundiæ dux, 20.
HENRICUS I, Roberti Pii filius, Burgundiæ dux, deinde Franciæ rex, 22; — commercio benigno utitur cum Roberto fratre, Burgundiæ duce, 85; — Burgundiam septentrionalem componit, 93; — Heriberti II, Autissiodorensis episcopi, electionem probat, 94 n. 2, — privilegia Trenorciensis abbatiæ firmat, 94 n. 3; — Lingonas venit, 97.
HENRICUS, Roberti I ducis secundus filius, 41; — Sibyllam, Renaldi filiam, ducit uxorem, 34; — ante patrem moritur; quinque filios habet, 41.
HENRICUS DE BURGUNDIA, Henrici filius et Roberti I ducis nepos, 41 et n. 2; — Portugalliæ regnum instituit, 57.
HENRICUS, Hugonis II filius, archidiaconus, deinde Augustodunensis episcopus, 65; — cum Vizeliacensi abbate violenter contendit, 66.
Heriacus (Héry. Yonne). Pacis conventus, 29, 51.
HERIBERTUS II, Autissiodorensis episcopus, favente Henrico I rege, 62-63, 94, n. 2.
HILDEBERTUS, Cenomannicus episcopus. Quid valeat quod de Roberto I, Burgundiæ duce, dixerit, 70 et n. 2.
HUGO MAGNUS, Burgundiæ dux, 19.
HUGO NIGER, Burgundiæ dux, 19.
HUGO I, Burgundiæ dux (1076-1079) 1, 33; — Roberti I nepos, 41; — Sibyllam Nivernensem uxorem ducit, 34; — ducatum occupat, invito avo, 34; — de hujus ducis indole, 55; — concilii Augustodunensis anni 1076 particeps, 55; — Sarracenos debellatum in Hispaniam transit, 56; — Cluniacensis monachus factus, 56; — monasteriis favet, 58, 63; — prima feminarum monasteria in Burgundia instruit, 59.
HUGO II, Burgundiæ dux. Quadraginta annos regnum tenet (1102-1142), 1, 33; — Mathildam de Torinna uxorem ducit, 34; — juxta Divionem domum struit, 38; — patri succedit sine controversia, 43; — pacem jungit Augustoduni cum Willelmo II, Nivernensi comite, 52; — in Galliciam peregrinatur, cum abbate Petro Divionensi, 54; — benefacit abbatiis Molismensi et Cisterciensi, 59; — dedicationi Cisterciensis oratorii adest, 60; — ibi in-

humatus, 61 ; — Ludovico VI auxilium adversus Anglos et Germanos affert, 87-88 ; — regi rebellavisse dicitur, 88 n. 2 ; — Borellus dictus vel Pacificus, 89-90 ; — ab Innocentio papa epistolam vituperativam accipit, 92.

HUGO III, Burgundiæ dux. Inter duces capetianæ stirpis egregius, 1 ; — apud Tyrum moritur, 55 ; — quid evenerit præcipue in Burgundia, eo regnante, 101-102.

HUGO IV, Burgundiæ dux. Multa territoria acquirit, 103 ; — ejus testamentum, 104.

HUGO, Roberti I ducis filius natu maximus. Ante patrem moritur, 41 ; — Sancti Bricii occisus, 80 ; — pro patre Philippi I regis coronationi adest, 85.

HUGO, Cluniacensis abbas. Roberti I ducis uxoris frater, 33 ; — a Gregorio VII papa vituperatus quod in monasterio Hugonem I ducem acceperit, 63 ; — in Augustodunensi concilio Robertum I increpat, 68, 69. — Antiqui recentioresque ejus historici, 2, 70 n. 2, 78 n. 1.

HUGO CABILLONENSIS, Autissiodorensis episcopus. Roberto Pio favet, 21 ; — quasi subregulus in Burgundia, 29 ; — Dei pacem diffundit 51 et n. 4.

HUGO, Lingonensis episcopus. A Roberto Pio designatus, 97 ; — a Leone IX papa depositus in Rhemensi concilio, 50, 97.

HUGO DE GRANCEIO, Burgundiæ ducis vassallus, 76 n. 1.

HUGO DE MONTE, SANCTI JOHANNIS, Burgundiæ ducis vassallus, 76 n. 1.

HUGO DE RUBEO MONTE, Burgundiæ ducis vassallus, crucesignatus, 79.

HUGO DE TUSIACO, Burgundiæ ducis vassallus, crucesignatus, 79.

HUGO DE VERGIACO, filius Guidonis. Adversus Hugonem III ducem rebellat, 100, 102.

HUGO VIRIDUNENSIS, chronici Flaviniacensis abbatiæ scriptor, 2, 64.

HUMBERTUS DE MALLEIO, Divionensis vicecomes, 37.

I

Icius, villa (Is-sur-Tille. (Côte-d'Or), 35.

ISAAC, Lingonensis episcopus. Caroli Calvi missus, 9 ; — Sancti Benigni Divionensis monasterium et ecclesiam instaurat, 10, 49.

J

JARENTO, Sancti Benigni abbas, 55 n. 4.

JOCERANNUS, Lingonensis episcopus, 52.

L

LAMBERTUS, Lingonensis episcopus. Brunonis successor, 22 ; — Divionensem comitatum Roberto Pio tradit, 37.

LANDERICUS, Nivernensis comes. Roberti Pii adversarius, 21 ; — monachos dervenses aggreditur, 30.

Lenteniacus, villa (Lantenay. Côte-d'Or), 35.
Lingonensis pagus vel comitatus, 34.
Lingonum civitas, 99.
LOTHARIUS, Caroli Calvi filius, Reomai monachus, deinde Sancti Germani autissiodorensis abbas, 11.
Lucus, villa (Lux. Côte-d'Or). Pacis conventus, 52.
LUDOVICUS VI, Franciæ rex. Ab Hugone II auxilium accipit adversus Anglos et Germanos, 87-88; — Cluniacensis abbatiæ privilegia firmat, 94 et n. 2.
LUDOVICUS VII, Franciæ rex. Frequenter in Burgundia sedet, 95; — protector ecclesiarum monasteriorumque Burgundiæ, 96; — totius regionis hominia apud Lingonas accipit, 98; — Godfrido, Lingonensi episcopo, favet, 98; — Lingonensem urbem regno addit, 99; — controversiam dirimit inter Henricum, Augustodunensem episcopum, et Flaviniaci Vizeliacique abbates, 100.
Luziacum castrum (Luzy), 76.

M

Magnimontensis pagus (Mémont. Côte-d'Or), 34.
MANASSES DE VERGEIO, 76.
Mantala (Mantaille. Drôme). Ibi episcopi Bosonem Burgundiæ regem elegerunt, 14.
MARIA, Campaniæ comitis filia, Odonis II uxor, Burgundiæ ducissa, 34.
MATHILDA DE TORINNA, Hugonis II uxor, Burgundiæ ducissa, 34. Cum Sancto Bernado epistularum commercio utitur, 61.
Matisco, civitas. A Carlomanni militibus expugnata, 17; — infanda fame exercetur, 28.
Matisconensis pagus vel **comitatus**, 8.
MILO DE FROLLEIS, Burgundiæ ducis vassallus, 76 n. 1.
MILO DE WANGIONUM RIVO, Burgundiæ ducis vassallus, crucesignatus, 79.
Mirebellum castrum (Mirebeau. Côte-d'Or). A Roberto Pio expugnatum, 29 et n. 4.
Misciniacus, villa (Messigny. Côte-d'Or), 35.
Molesmensis abbatia. Ab Odone I et Hugone II beneficia accipit, 59.
Monsbarrus, castrum (Montbard), 76; — chartam communiæ accipit, 103.
Mons Sancti Johannis, castrum, 76.

N

Nivernensis comitatus, 8.

O

ODILO, Cluniacensis abbas, 51.
ODO I, Burgundiæ dux. Viginti et tres annos regnum tenet (1079-1102), 1, 33; — Roberti I nepos, 41; — Mathildam, Burgundiæ comitis filiam, uxorem ducit, 34; — Hugoni I, fratri suo, facile succedit, 42; — Alfonso VI, Hispaniarum regi, auxilium affert, Tudelam obsidet, 53; — in Terra Sancta moritur, modo adhuc obscuro, 54 et n. 1; — Cisterciensem abbatiam struit, 60; — ibi

inhumatus, 61; — Cluniacensia monasteria vexat 64 n. 4; — fragilitatem naturæ suæ increpat, 77; — falso scelestus habetur, 68, 70; — amicitia utitur cum Philippo I rege, 86; — exercitum educit in Hugonem de Puteolo, 86; — Borellus dictus, 90 n. 2. — Ejus sigillum et monetæ, 73 et n. 2.

ODO II, Burgundiæ dux. Viginti annos regnum tenet (1142-1162), 1, 33; — Mariam de Campania ducit uxorem, 34; — Hugoni II fratri succedit, nullo obstante, 43; — ægritudine confectus, 54; — Cisterciensi in monasterio inhumatus, 61; — Henricum fratrem, Augustodunensem episcopum, adversus Vizeliacensem abbatem sustinet, 66; — Flaviniacumc astrum expugnat, 100; — a comite Campaniæ hominium accipit, 100. — Ejus sigillum et monetæ, 73 et n. 2.

ODO III, Burgundiæ dux, 101, 103.

Oscarensis pagus, 34.

OTTO, Burgundiæ dux, 19,

P

PETRUS, Divionensis abbas, 54.

PETRUS, Trenorciensis abbas, 57.

PHILIPPUS I, Franciæ rex. Benigno commercio utitur cum ducibus Burgundiæ, 86, 87; — privilegia Trenorciensis abbatiæ firmat, 94 n. 2.

PHILIPPUS AUGUSTUS, Franciæ rex, 2, 99.

PHILIPPUS, Burgundiæ dux; ultimus primæ gentis. Rovraci moritur, 1, 84 n. 1.

Plombariæ (Plombières, près de Dijon), vicus sancti Benigni divionensis, p. 67 n. 3.

Pontiniacus (Pontigny. Yonne), Cisterciensis abbatia, 60.

PONTIUS, Vizeliacensis abbas, 66.

Prunidum, villa (Prenois. Côte-d'Or), 34.

Pulliacus, villa (Pouilly-sur-Saône), 20.

R

Reomaus (Moutiers-Saint-Jean), abbatia antiqua, 11; — fame exercetur, 28 n. 1; — a Willelmo abbate reformata, 49.

RENALDUS, Nivernensis et Autissiodorensis comes; a Roberto I victus et occisus, 80.

RENALDUS, Roberti I nepos, 41; — Flaviniacensis abbas, 65.

RENALDUS DE GRANCEIO, Burgundiæ ducis vassallus, 77 n. 1.

RICHARDUS JUSTIFICATOR, Augustodunensis comes, 17; — Nortmannos vincit, 18; — Burgundiæ dux, dictus marchio, 19.

RICHARDUS, Nortmanniæ dux. Roberto Pio auxilium affert ad conquirendam Burgundiam, 25; — adversus Cabillonensem comitem expeditionem ducit, 27.

ROBERTUS PIUS, Franciæ rex. Burgundiam occupat, 20-21; — pacem imponit rebellantibus filiis, 23; — Burgundiam vastat, 25-26; — Mirebellum castrum evertit, 29; — apud Heriacum concilium provocat, 30 et n. 1; — pauperibus largitur Divionis, Avallonis et Autissiodori, 30.

ROBERTUS I, Roberti Pii regis filius. Dux Burgundiæ, 1; — castrum Belnense et Avalonem expugnat, 22; — Burgundiæ ducatum acci-

pit, 23, 84; — regno ineunte, in ducatu sua jura quærit, 31; — titulo incerto, dictus Robertus Vetulus, Robertus sine terra vocari deberet, 32; — quadraginta et quatuor annos regnat (1032-1076), 33; — Heliam de Sinemuro uxorem ducit, 33; — Henricum filium cum Sibylla, Burgundiæ comitis filia, matrimonio jungit, 34; — Divione sedet, 38; — Divionensem comitatum tenet, 40; — quatuor filios habet, 41; — Sancti Saviniani reliquias humeris gerit, et Romam ire meditatur, 53; — Cluniacum oratum it, 58; — multos episcopos vexat, 62; — coram Augustodunensi concilio vocatus, 68; — Floriaci moritur, 69; — falso nefarius habetur, 70 n. 2; — bella gerit adversus Nivernensem comitem, 80; — benigno commercio cum fratre Henrico I rege utitur, 85; — adversus Willelmum Nothum Henrico fratri auxilium præbet, 87; — ejus sigillum et monetæ, 72 et n. 2.

ROBERTUS II, Burgundiæ dux. Plurima territoria acquirit, 103; — vassallorum hominium facile obtinet, 104; — majorem ducatus partem abalienari non posse statuit, 104.

ROBERTUS, Roberti I ducis filius, 41; — a patre ad successionem designatus, sed ab Hugone nepote fugatus, 42; — decem annos res Siciliæ gerit, 56-57.

ROBERTUS, Roberti I ducis nepos, 41; — Lingonensis episcopus, 65; — quomodo electus, 67 n. 2.

ROBERTUS, Molesmensis monachus, Cisterciensis abbatiæ fundator, 59.

RODULFUS, Burgundiæ dux, deinde Franciæ rex, 19.

RODULFUS GLABER, monachus et rerum Burgundiæ scriptor, 28 n. 1.

Rubeus mons (Rougemont). Mulierum monasterium, 59; — castrum, 76.

Ruffiacus, villa (Ruffey, près de Dijon), 35.

S

Saigniacum (Sainte-Vertu. Yonne). Ibi dux Robertus I Renaldum, Nivernensem comitem, vicit, 80.

Sanctus Apollinaris, villa (Saint-Apollinaire, près de Dijon), 35.

Sanctus Bricius (Saint-Bris. Yonne). Ibi Willelmus, Nivernensis comes, Hugonem, Roberti I filium, occidit, 80.

Sanctus Michaelis Tornodorensis, abbatia, 47; — a Willelmo abbate reformata, 49.

Saviniacus, villa (Savigny. Côte-d'Or), 35.

Sarmatiæ, castrum (Salmaise), 76.

Senonum civitas. A Nortmannis vexata, 13; — a Roberto Pio obsessa, 21; — a Roberto I duce visitata, 53; — ibi anno MXLVIII concilium, 85.

SIBYLLA, Henrici, Roberti I filii, uxor, 34.

SIBYLLA, Burgundiæ ducissa, Hugonis I uxor, 34.

SIMO, Roberti I ducis filius habitus (?), 41 et n. 2.

Sinemurus Brienensis (Semur-en-Brionnais. Nièvre), 33.

Sinemurus in Ausissio (Semur-en-Auxois. Côte-d'Or), 70 n. 2.

Somborno, castrum (Sombernon), 76.

Stagnum, villa (L'Etang-Vergy. Côte-d'Or), 35.

STEPHANUS, Augustodunensis episcopus, 65.